


Novus schulis





4952


CIMELIA


Sw. 92











Cim. Gu. 4952

N V N T I V S  
S A L V T I S,

Siue

DE I N C A R N A T I O N E,  
ad laudem Dñi nostri Iesu Christi,  
eiusq; gloriosissimæ matris  
honorem.

*Ad sereniss. Sigismundum III.*

*Poloniæ Regem.*

*Et cæt.*

Stanislai Socolouij, Canonici Cracouieñi.  
Sermones quinq;.



C R A C O V I A E,  
Ex Officina Lazari. Anno Domini,  
M. D. LXXXvij.

*III. Reg. cap. 2.*

VENIT ERGO BETHSABEA AD REGEM  
SALOMONEM, UT LOQUERETUR EI  
PRO ADONIA, ET SVRREXIT REX  
IN OCCVRSVM EIVS, ADORAVITQ. EAM,  
ET SEDIT SVPER THRONVM SVVM,  
POSITVSQ. EST THRONVS MATRI  
REGIS, QVAE SEDIT AD DEXTERAM  
EIVS.

*Luc. 2.*

FECIT MIHI MAGNA QVI POTENS EST,  
ET SANCTVM NOMEN EIVS.



AD SERENISS.  
SIGISMUNDVM III.

Regem Poloniae, &c.

Stanislai Socolouii Canonici Cracouienſis,

PRAEFATIO.



Duplex fuit semper in omni religione ac Repub. sacrorum ac caeremoniarum ratio, duplexq; modus; aut enim publica sacra erant, aut priuata. Publica illa, quae passim à toto & pro toto populo, publico sumptu, vno & simplici ritu peragebantur: Priuata, quae singularum gentium ac familiarum erant, indeq; gentilitia dicebantur; unde illa duplicia sacrorum iura: duplices ritus ac caeremoniae, priuatorum, inquam, & publicorum; de quibus cum alijs, tum in Pontificalibus libris plurima. Quod idem est, fuitq; semper obseruatum, in ciuitate Dei, ac vniuerso Christiano populo. Sequitur enim hic sacra, religionisq; modum publicum: ubi vna communi forma & regula, eodem ritu, vno corde, vno ore, totus populus per vniuersum orbem fusus, ex eadem ab Apostolis profecta formula, locis & temporibus statutis, circumstantiis

item, cantu, hymnis, psalmis, ac verbis conceptis, Deum colit ac veneratur; nihil de suo addens, detrahens nihil. Officium id publicū, sacris ac ritualibus libris consignatum & notatum, vocant. Habent item singulae prouinciae ac gentes, suos quosdam priuatos & peculiare ritus, priuata sacra & caeremonias, quas certis & definitis, quae à publicis sunt sacris libera, temporibus, nihil de publico cultu immutantes, aut cōtaminantes, sanctè & piè obeunt ac conseruant; ut ita & vna sit sponsa Christi: vna dilecta eius: vna columba eius: vnica matri suae; & nihilominus circumdata varietate: vnus cantus: vna pictura; sed variis coloribus & sonis distincta. Sunt haec eadem omnia in hac ipsa nostra Sarmatia, hocq; ipso regno; quod tu diuinitus, cum propter alias praestantissimas tuas virtutes, tum praecipue propter eximiam pietatem, aut eiq; studium religionis, quā paternis regnis, ipsiq; paternae charitati, toties maximo animo antetulisti, nunc praehendis: & vtinam diutissime teneas. Amplectitur enim communem ecclesiae catholicae cultum, ab ipsis Apostolis inchoatum: à sanctis Patribus auctum & locupletatum: à sacrosancta Tridentina Oecumenica Synodo confirmatum & expurgatum: & vtinam constanter & concorditer sequatur. Sunt enim quidam homines inobedientes, suiq; ipsorum amantes; qui omnia contaminant, omnia miscent; ac  
nisi

nisi quid de suo addant, morituros se putant: quibus id demum placet, quod publica auctoritate damnatur: id displicet, quod catholicum est, quod cum publica religione coniunctum, quod à summis ecclesiae capitibus iubetur: qui frugibus inuentis, glande vescuntur: qui ad ollas Aegypti iterum respiciunt: qui, dum veram & syncerum antiquitatem impugnant, maximos se antiquitatis zelatores esse putant: qui, quod antea priusquam damnatum & interdictum esset, despiciebāt; hoc demum ubi publica auctoritate abrogatum est, sequuntur, laudant; hacq; potissimum ratione, si inobedientes sint, obsequium se Deo praestare putant. Verum missos faciamus istos. Ut autem nos eum ipsum publicum cultum, de quo dixi, secuti sumus; ita & priuata quaedam sacra, & caeremonias à maioribus nostris sanctissimis & pientissimis viris institutas amplexi, firmiter persequimur, ac obseruamus. Multa quidem illa & varia; pro ut pietas gentis tum temporis tulit: maximè tamen ea, quae ad beneficium incarnationis, & conceptionis domini nostri Iesu Christi spectant, honoremq; beatissimae matris illius pertinent, incredibili quadam deuotione complexi sumus: ac vsque adhuc constantissimè inter tot haeresum ac impietatis fluctus tuemur. Summa illa utraque: nam incarnationis Saluatoris nostri beneficium illud est, in quo (vt inquit Damascenus) summè demō-

stratur, simul bonitas & sapientia, iustitia & potentia Dei atq; virtus. Bonitas quidem, quoniam non despectus illius cadentis, ei benignam porrexit manum. Iustitia verò, quòd homine victo, non per alium, quàm per hominem, fecit vinci tyrannum. Sapientia, quòd rei difficilimæ curandæ inuenit modum ac remedium conuenientissimum. Ad hæc potentia, siue virtus infinita: quidenim maius est, quàm Deum fieri hominem? Per eandem quoq; incarnationem omnium creaturarum partes in diuina persona eleuari voluit. Nam, cùm in vniuersa natura quatuor rerum gradus atque ordines reperiantur: primus, non habentium vitam, vt lapidū: secundus, habentiū quidē vitam, sed sine sensu tamen, vt plantarum & virgultorum: tertius, viuentium vitā, sed sensitiuam tantū, vt brutorū: quartus, viuentium vitam mentis & intellectus, vt angelorum, & hominum. hæc omnia in vno eodēque inueniuntur homine, & ideò à quibusdam *μικρόκομος*, id est, minor ac in compendium redactus mundus, appellari solet. Homo ipse, inquit Gregorius, nomine omnis creaturæ intelligitur. Dum igitur Deus homo fit, carnemq; assumit; omnium creaturarum partes & ordines in sua persona extollit. Verùm in hoc loco omnis oratio infans & muta est. De virgine autem sancta, quid amplius dicam, quàm  
illam

illam ipsam matrem Dei esse, eamque benedictam prædicari ab omnibus generationibus debuisse? Quod futurum longè antè plena Spiritu sancto ipsa prædixit: Fecit enim illi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Cuius orationes & merita, huius regni, contra tot feras & barbaras gentes, à quibus vndique cinctum & obsessa est, propugnaculum ac peculiare quoddam præsidium esse, pius & acer quidam dixerat Hispanus: quæ tamen non vt Deam, quod falsò hæresis mentitur; sed vt matrem Dei colimus ac veneramus. Docti enim sumus cælitus ab Angelo, eam benedictam esse inter mulieres, & benedictum fructum ventris eius. Memores illius Hieronymi: Nulli dubium esse, quin totum ad laudem & gloriam pertineat Dei, quicquid dignè genitrici suæ impensum fuerit. Et Bernardi similiter: Quicquid in laudibus matris proferimus, ad filium pertinere. Et rursus: Cùm filium honoramus, à gloria matris nos non recedere. Et quamuis hanc ipsam sacrorum partem de qua dixi, quotidie sanctè & piè obeamus, eamque vtamur; maximè tamen, & præcipuo quodam cultu, illo ipso sacro aduentus tempore, quo idem argumentum tractat ac recolit vniuersa ecclesia, id factitamus. Idque ea ratione & modo. Noctu ante lucem congregatur in ecclesiam frequens populus; noctis illius & tenebrarum, in qua ante incarnatū verbum ver-

Saba-

*Sabamur omnes, rationem omnem, & conditionem designans. Accenduntur varia et multiplicia lumina, lumen naturæ, philosophiæ, et legis scriptæ referentia: quæ, etsi utcumque in ea regione umbræ mortis lucebant, diem tamen non efficiebant; nondum enim erat orta lux vera, quæ illuminat omnem hominem vententem in hunc mundum. Etsi enim, inquit Clemens Alexandrinus, omnes stellæ luceant; dies tamen non est, ubi ipse sol non exoritur neque lucefcit. Prophetiæ itè, desideria ac gemitus patrum leguntur, ac recensentur, roris cælestis irrigatio (unde sacro Romæ nomen est) Isaiæ verbis cælitus imploratur: Rorate cæli de super, etc. Non, quòd nouum (ut impudenter hereses calumniantur) cum Iudæis Messiam expectemus; sed ut pro præteritis beneficiis æterno Patri gratias agamus: & ut nunquam tanti beneficij ex animis & ore hominum decus ac memoria excidat. Lectiones tam noui quàm veteris testamenti, quibus summa incarnationis verbi continetur, clara & illustri voce ad populum recitatur: hymni, & psalmi cantantur: eodem ferè modo, quem iam Traiani temporibus vsitatum fuisse populo Christiano, ipse non Christianus Plinius minor refert; qui eos statò die ante lucem conuenire; carmenq; Christo, quasi Deo, dicere secum inuicem; seque sacramento, non ad scelus aliquod, obstringere; sed ne furta, ne latrocinia, ne ad-*

ne adulteria committerentur; ne fidem fallerent; ne depositum appellati abnegarent, Inuiano scribit. Ad quam tam raram, tam illustrem, tam piam Panegyrim exornandam, cum alii alia conferant: aurum alii: sacram vestem alii: thus & cereos nonnulli; ipse pro mea tenuitate, hacq; afflictu valetudine, flores fero: in honoremq; Christi incarnati, eiusq; beatissimæ matris, quæ se ex voto, hoc ipsum ex doctissimorum patrum hortis decerptum ac contextum fertum, & coronam, illi dico: hanc tabulam & anatbema in templo eius religiosè suspendo; precibus & meritis illius me, caputque meum afflictum commendans. Te autem, Serenissime Rex, potissimum compellandum cum talibus donis esse duxi. Primum, ne ad tantum regnum prebendum venientem, vacuis manibus salutem: sed ut, vel flores, & ramos ipsos in illius occursum spargam. Deinde, quod hæc talia munera, regem adolescentem maxime exornent, atque commendent, si tali corona se, temporiq; sua redimiat, ac in lege Domini meditetur die ac nocte. Et quod rei caput est, quod eorum sacrorum cum multis alios præclaros Duces, tum præcipue maiores tuos viros diuinos habeamus; ac imprimis illum immortalis memoriæ virum Auum maternum tuum D. Sigismundum primum: qui & ipse beatissimæ virginis Mariæ studiosissimus, honorisq; illius

B

obser-

*obseruatissimus fuit: qui in summo ac principe Regi.e  
 su.e templo, pro amplissimis ex multiplici genere hosti-  
 um, Moscis, inquam, Tartaris, Moldauis, Prussis  
 victoriis, aliisq; felicissimis regni sui successibus, varia  
 monumenta, & quasi trophæa quaedam ad omnem po-  
 steritatem erecta, reliquit. Inprimis autem illud admi-  
 nibili opere, marmore vario, auro & gemmis pretiosis,  
 incredibili sumptu, celeberrimum sacellum, in honorem  
 eiusdem beatissim.e virginis extruxit; quod inter septē  
 illa, quæ mundus dilaudat miracula, referri iure possit:  
 honestissimorū sacerdotum collegium fundauit: canto-  
 res ac musicos omnis generis instituit: ad Mausoleumq;  
 & vnam suā quotidie perpetuis temporibus hoc ipsum,  
 de quo diximus, sacrum, antelucano tempore, variis  
 ac multiplicibus sonis, & concentibus celebrari iussit.  
 Eiusdem deuotionis habemus ducem etiam hanc ipsam  
 Annam Iageloniam Matertem tuam, feminam le-  
 etissimam ac pientissimā; quam Deus omnipotens regnū  
 huius temporibus necessariis vsq; adhuc seruare digna-  
 tur, & vtinam, quā diutissime seruet: quod regnū illa  
 precibus continuis, studio & meritis suis, iuuare nun-  
 quam desinit: quam Deus in eum honorem crescere  
 fecit, vt regis filia, & soror, & coniunx simul esset;  
 & nunc duplici regno auctum nepotem videat. Neque  
 quorumq; regum; sed illorum, ex quibus pater quidem  
 illud*

illud aliquādo testimonium retulit: Non surrexisse ma-  
 iorem Regem in diebus suis. Maritus autem propter  
 virtutis & industriæ magnitudinem, nedum quidem  
 par dignitati suæ elogium inuenit, nec ita facile in-  
 ueniet. Quæ quidem Anna, Deum immortalem, quan-  
 tum eundem ipsum locū, de quo locuti sumus, auxit &  
 exornauit! Magnam partem fortunarū ornatusq; sui  
 regij ad eum illustrandū cōtulit: latum & diuitem fun-  
 dum addixit: vasa pretiosissima intulit: vestes, in qui-  
 bus ars cum materia certat, admirandas cōparauit; ut  
 quod apud externas gentes in hoc genere miremur, ni-  
 hil nobis amplius reliquise videatur. Te quoque ipsum  
 præstantissime Adolefcens, miro studio matris Dei te-  
 neri ab omnibus audimus, & gratulamur: quod ut  
 porrò etiam atque etiam facias: ac quemadmodum  
 regni, ita & sacrorū hæres succedas, in eademq; sacra  
 transeas, obsecramus. Quod tamen iam à primis cuna-  
 bulis te fecisse, ac etiam nunc omisfis hæreticorū frau-  
 dibus, constantissimè tueri cognouimus. Quod reliquū  
 est, pietatem ante omnia colas: bona studia, eorumq;  
 cultores diligas: voluptatem, in cuius regno nul-  
 lus est locus virtuti, fugias: res gere,  
 intende prosperè, procede,  
 & regna.

## CAVSÆ CVR DEVS HOMO.

*Ex libro de incarnatione D.*

*Athanasii.*

**C**Ausam igitur eius in corpore apparitionis, aliqua ex parte ( quatenus licuit, & quatenus assequi datum fuit ) iam antè exposuimus; non fuisse videlicet vllius alterius officium, corruptibile in incorruptibilitatem transmutare, nisi ipsius saluatoris, qui in principio ex non entibus omnia condiderat: neque fuisse vllius alterius opus, exemplar imaginis diuinæ hominibus restituere, nisi eius qui erat imago Patris: neque alterius, mortale immortale efficere, nisi eius qui ex se ipsissima vita est, hoc est, Domini nostri Iesu Christi: neque ad alium quempiam pertinuisse de Patre docere, & idololatriam purgare, nisi rationis verbiq̄ue, omnia in mundo gubernantis, qui solus Patri suo verus & vnigenitus Filius est. Quando quidem igitur debitum pro omnibus soluendum erat, debebatur autem (vt iam dixi) vt omnes morerentur; quæ causa illi potissima fuit huc proficiscendi. Ideoq̄;  
post

post edita perfecta diuinitatis suæ monumen-  
ta, reliquum iam erat, vt pro omnibus sacrifi-  
cium offerret: pro omnibus templum suum  
morti tradens; quò omnes inobnoxios, & li-  
beros à veteri præuaricatione efficeret: seq;  
declararet mortis victorem, suumque  
corpus immortale redditum, pri-  
mitias publicæ omnium  
resurrectionis  
esse.

B 3

Capita

Capita rerum, quæ in hoc opusculo adumbrantur.

De incarnatione.

De gratiarum varietate.

De titulis B. Mariæ.

De prærogatiuis eiusdem ante omnes res creatas.

De salutatione Angelica.

De votis & virginitate.

De ministerio & discretione spirituum.

De nomine Iesu.

De throno Dauid.

De vera humanitate & diuinitate Christi.

De vera præsentia Iesu Christi, tam in vtero virginis, quàm sub speciebus panis & vini in Eucharistia.

De eo quatenus sit progrediendum in per-  
scrutatione diuinorum.

Nuntius

# Nuntius Salutis ,

Siue

DE INCARNATIONE,

*Ad sereniss. Sigismundum III.*

*Regem Poloniæ.*

*& cæt.*

STANISLAI SOCOLOVII.

*Sermo Primus.*



ERTAMVS ERGO  
aratum, idemque iteremus  
nouale, ac nouam inchoemus  
vertentis anni agriculturam.  
Redit enim hoc tali tempo-  
re ecclesiæ populoq; Chri-  
stiano nouum ver: noua a-  
ratio: noua culturâ; vnde il-  
le solet inchoare sua omnia. Hinc rem diuinam, sa-  
crosanctumq; altaris cultum: hinc sacerdotum pre-  
ces, ac supplicationes: hinc cæremonias: hinc de-  
nique eam, quæ ad populum fit doctrinam, orditur.  
Cuius quidem sui instituti idem facit fundamentû,  
quod & totius salutis initium est; Incarnationem sci  
licet, ac descensum de cælo, Dñi nostri Iesu Christi:  
qui, cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitra-

tus.

tus est esse se æqualem Deo: sed formã serui accepit: & habitu inuentus vt homo. Et merebatur quidem hoc tale beneficium, quod tantum est, vt nullo vnquam temporis spatio satis laudari ac prædicari possit; vt solùm toto celebraretur anni decursu: nisi cætera quoque, quæ ex primo hoc & summo promanãt, beneficia, aliquã sibi meritò eiusdem temporis vendicarent partẽ. Quemadmodũ enim nulla pars præteriti antè incarnatum verbum æui fuit, quo nõ tot signis, figuris, cæremoniis, vaticiniis, votis, ac desideriiis, hoc tantum testatum ac repræsentatum arcanum esset; sic eodem modo, & longè magis sequenti omni ætate, in omnem æternitatem nunquã eius memoria ac veneratio ex piis pectoribus debuit aboleri. In huius spe ac expectatione Adã & Eua, primi parentes nostri, æuo & laboribus fessi, quietè & iucundè dormierunt: in huius desiderio Noë aquas diluuii superauit: in huius fide, pater omnium credentium Abraham, contra spem in spem credidit, filium suum obtulit, in eiusque die exultauit: in huius amplexu Iacob collectis pedibus suis mortuus est, illo vitæ suæ epilogo factò: *Expectabo salutare tuum Domine.* addit Rabi Ionatas in suo Thargumo: Non expectabo salutare Gedeon filii Ioas, quæ est salus temporalis; neque salutare Samson filii Manuë, quæ est salus transitoria; sed

sed expectabo salutare Messiaë filii Dauid: hunc expectat anima mea, donec veniat desiderium collium æternorum. Huius aduentum desiderat Moyses: *Mitte Dñe quem misurus es.* Et Dauidis quidem Exod. 13. illa violentiora vota sunt: *Inclina cælos tuos Domine, & descende.* Psal. 143. id est, sublimitatem tuam, quæ humiliari non potest, magnificè humilia: Deusque perfectus existens, perfectus efficiaris homo. *Utinam disrumperes cælos* (si ea vis illorum est, ut te arceant) *& descenderes.* *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Pf. 84. & 79 *Excita potentiam tuam, & veni ut saluos facias nos. Deus conuerte nos: ostende faciem tuam, & salui erimus.* Isa. 45. *Rorate cæli desuper.* id est, benignum rorem fundite, illum, inquam, de quo paulò post: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. *& nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet saluatorem.* *Ubi est zelus tuus & fortitudo tua? ubi multitudo viscerum & miserationum tuarum?* Dauid eodem modo: *Tu exurgens miseraberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.* Et Daniel: *Exaudi Domine, placare Domine, attende, & fac ne moreris propter te metipsum.* Dani. 9. Ut igitur nulla pars præteriti, ut diximus, temporis fuit, quo non tantum beneficium coleretur: ita certè nulla eodem modo in posterum esse debet, in qua

pro tam eximio munere non suæ debeant institui gratiarum actiones. Quod fecit facitque semper, non vno aliquo die, sed omni planè, potissimè autem hoc sanctissimo, huic ipsi rei dicato, aduentus tempore, Christianus populus; non quod cum Iudæis, ut hæresis mentitur, nouum Messiam expectet, nouaq; pro venturo instituat vota; sed, ut pro quaesito iam beneficio gratias agat: eiusque sempiternam memoriam reuocet: desideria patrum repræsentet, indeque se ad maiorem gratitudinem excitet. Quod ecclesiæ sanctæ institutum secuti, & nos hoc idem agemus: in eodemque incarnationis argumento, quantum homini licebit; cum timore tamen & tremore versabimur. Quid enim aut sublimius, aut vtilius, tali tempore tractari possit, non videmus: namq; hoc argumentum, fert Dei cum hominibus coniunctionem: adoptionis nostræ dignitatem: imaginis reformationem, ac in melius profectum: in cælos exaltationem, atque ascensionem. Verùm cum hæc humeris mortaliū sublimiora sint, nefasque tanta mysteria homini curiosè scrutari: nefas seruum arcana secretioris cubiculi ingredi; ideò & nos ea sola in medium adferre in hoc genere duximus, quæ cælitus ab ipso Deo, per summum Angelum matri Dei, quæ tanti operis instrumentum, & arca sanctissima fuit, ex superna curia  
allata

*Propositiu*

allata ac explicata, nobisq̄ue hoc tempore ab ecclesia proposita sunt. Quis enim aut maiora aut certiora tentare aufit? nullus locus hîc humano relinquitur ingenio, nullus experimento; ex sola diuina pendent hæc omnia operatione atque virtute: parumq̄ue pudici pectoris est, plura velle posse in hoc genere cognoscere, quàm aut cælesti nuntio, aut ipsi matri impertitum est. Quod his creditum non fuit, credetur profectò nemini: aut quod isti non capiunt, quis capiet? *Quod natura, inquit Hieronymus, non habuit, vsus nesciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana; pauet cælum, stupet terra, creatura etiam miratur omnis cælestis, hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nunciatur, & per Christum adimpletur.* hacq̄ue cælesti legatione ac nuntio tota redemptionis summa, vt inquit Beda, continetur: cælum aperitur: terra regem vniuersi clanculum excipit: miserationum Pater humanam deformitatem vnico filio suo despondit: Pater omnis gloriæ humani generis misertus: corruptam in Adamo naturam, propitius intuitus est: *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi mutuo, iustitia & pax osculate sunt.* Neque tamen hoc solùm nunc cælitus adfertur, quod tamen ipsum per se ingens est, matrem virginem, verbum carnem, Deum hominem factum esse; sed summa simul totius fidei nostræ (quæ ad-

Lucæ 1.

huc orbem latuit) cælitus ab Angelo mundo cre-  
denda admirandaque proponitur, vnius, inquam,  
& trini Dei clara & distincta confessio, illis Angeli-  
cis verbis: *Spiritus sanctus superueniet in te, & vir-  
tus altissimi obumbrabit tibi: & ideò, quod nascetur ex  
te sanctum, vocabitur filius Dei.* Vbi cernis virtutem  
altissimi, spiritum sanctum, filium Dei, clarè & di-  
stinctè, vt nunquam antea, nominari, ac toti orbi  
terrarum, vnius & trini Dei fidem & doctrinam cæ-  
litus promulgari. Magni igitur nuntij tempus, sum-  
mæ legationis mysterium est: tamen ad maiesta-  
tem tanti argumenti illud sufficit, quod Atha-  
nadius caput negotij esse dicit, nempè, hîc de filio  
Dei, eiusq; de cælis in terrâ descensu agi. Quo loco  
liceat mihi poëtæ christiani verbis, Spiritum sanctū  
tanta mysteria & obumbrantē, & aperientē alloqui.

*Qui mare, qui terras, qui cælum numine complex  
Spiritus alme tuo; liceat mihi munere regem  
Bis genitum canere, è superi qui sede parentis  
Virginis intactæ gravidam descendit in aluum,  
Mortalesq; auis hausit puer; vt genus vltus,  
Humanum eriperet tenebris, & carcere iniquo  
Morte sua, manesq; pios inferret Olympo.*

Te verò sancta parens, principis veteris Græciæ  
Theologorum Gregorij verbis alloquar.

Vene-

Gregori, in  
Christo pa-  
tiente.

Veneranda, ô virgo casta, felicissima,  
 Quando beata nunc beatorum in polo,  
 Exuta quicquid fecis humanæ, sedes  
 Aternitatis pallio ornata, ut Dea  
 Habitu, senectæ expers; supremo ex æthere  
 Benigna adesto vocibus meis: preces  
 Admitte, virgo ô inclyta, hîc quando tibi  
 Verbi parenti, sed supra modum tamen,  
 Legemq; solus inter omnes contigit  
 Honor. Ego fretus his, tibi me audentius  
 In verba supplex offeram, & suavissimo  
 Contextam ab horto, qua tuum exornem caput  
 Coronam, ô domina proferam; ut quæ gratia  
 Modum supra omnem, me tua semper leuans,  
 Me genere quouis casuum eruis omnium:  
 Hostes apertos, quodq; longè maius est,  
 Illos latentes, machina qui me petunt  
 Auertis.

Septuaginta igitur hebdomadibus notissimis illis, Dan. 9.  
 super genus mortale abbreviatis, ut inquit Dani-  
 el, vbi tempus cunctis desideratum seculis, atq; gen-  
 tibus aduenisset: ut consumaretur præuaricatio: ut  
 finem acciperet peccatum: ut deleatur iniqui-  
 tas: ut adduceretur iustitia sempiterna: ut implere-  
 tur visio & prophetia, & vngeretur sanctus sancto-  
 rum (quod quidem totum tempus pædagogum ad

conuerſionem vocat Damascenus ; vt cognosceret mundus, quanta vis ſit peccati : quanta iræ diuinæ grauitas : quanta ſæueritas vindictæ.) designat pater omnipotens nuntium & legatum, cum tot deſideriis expectato nuntio, ad virginem Ieſſæo ſemine oriundam, nouam ſcilicet progeniem cælo demittendam alto, Deum ex cælo : Deum in vtero virginis : Deum hominem : Deum ſuper terram : Deum inter homines ; eius autem cæleſtis germinis, non aliam quàm eam ipſam, ad quam nuntius mittitur, virginem futuram matrem. Cuius tam rari, tam noui nuntij, ac legationis, Lucas Euangelifta, rationem & ſeriem hunc in modum deſcribit ; vt primùm ipſius legationis, atque nuntij expeditio, ac circumſtantiæ deſcribantur omnes ; deinde ipſa legatio, eiusq; perfunctio ; demùm effectus ipſe. Quibus partibus tribus vniuerſa huius legationis ratio concluditur, quod totum quale ſit, paucis expendamus. Primùm igitur ſummam omnesque circumſtantias ipſius legationis cõſideremus, in qua nulla pars relinquitur eorum adiunctorũ, quibus maximæ legationes conſtare ſolent ; temporis, inquam, loci, perſonarum, mittentis, & eius qui mittitur, & ad quam fit miſſio : quæ ſingula qualia ſint, diligentius videamus. *In menſe igitur ſexto, ſextæ & vltimæ ætatis, poſtquã prægnans effecta Elizabeth, Ioannesq;*  
futu-

futurus præcursor domini conceptus est: mense Martio, quo item totam vniuersitatem rerum constitutam, hominemque primum creatum esse, testatur Athanasius: quo eodẽ tempore, sexta diei hora, hic ipse nasciturus Emmanuel, vt ita vltima respondeant primis, mortuus est: *Mittitur Angelus Gabriel* Lucæ 1.  
*à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen erat Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Iozeph, de domo David, & nomen virginis Maria: vt quondam missus est serpens ad desponsatam Adæ, cui nomen erat Eua, illudque Isaia impletur: Sicut* Isai. 66.  
*cæli noui, & terra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit dominus: sic stabit semen vestrum, & erit mensis ex mense, sabbathũ ex sabbatho: veniet omnis caro vt adoret coram facie mea. Mittitur autem Angelus, non seipsum ingerit, quod malignorum spirituum & hæreticorum est proprium: mittitur in ciuitatem Galilææ, quæ confinis tam Iudææ quàm gentibus fuit: quia vtrique genti, hic ipse puer salutem allaturus, adueniebat. In ciuitatem, cui nomen Nazareth: quod nomẽ à separatione, custodia, sanctificatione, flore deducũt docti. Conueniebat enim florem ex radice Iessæo, ex virga rectissima, & sine omni nodo fœcundissima oriundum, in florem cælitus demitti; eum qui natura sanctus est, in loco sanctificationis concipi: florem, inquam, pulcherrimum:*  
 florem

florem suauissimum : florem saluberrimum : florem cordis ipsius omni lilio nitidiorem : omni rosa pulchriorem : omni balsamo fragrantiolem. Qui quidem flos, in conceptione floruit : in natiuitate apparuit : in passione emarcuit : in resurrectione re-  
 floruit : fructum dabit in gloria. Voluit autem Deus nuntium præcursoris Ierosolymis in templo, filij autem sui in Nazareth vili oppido, in abdito virginis conclauis explicari ; non quòd in ea legatione aliquid stultum mundi contineretur, vt putat rei tantæ deprimendæ studio Calvinus, (sunt enim hîc amplissima omnia) sed Oeconomix potius causa. Prius enim aurora exoritur, quàm sol ipse in publicum se profert : prius vox sonat, quàm verbum prodit : prior & notior præcursor & προδραμορ suo rege testis, illo, cui testimonium reddit. Tum quod tanta eius legationis sublimitas esset ; vt eius cognoscendæ populus subito capax esse non posset. Nam si Zacharias ad nuntium de ortu Ioannis filij obstupuit ; si virgo nunc turbatur ; quid multitudo imperita in tantâ incredibili ac inopinato fecisset nuntio ? Mittitur autem non quilibet *Angelus*, sed Irenæo quidem Archangelus Dimiurgi : Andreæ Ierosolymitano, vnus è præcipuis Angelis : Cedreno, Angelorum princeps, maximam diuinitatis lucernam, & totius orbis non occidens luminare, ad arcanorum futura mysteria

introducens : Pantalæoni, diuinissimus Angelus ab omnipotentē missus, pronubus verbi, gerendi belli præpositus : Gregorio, summus Angelorum summa nunciatus : Bernardo, nuntius cum Deo & homine : Theophilacto, Deum & hominem ipso nomine sonans. Dignum autē erat, inquit Gregorius, ad hoc mysterium summum Angelorum venire, qui summum omnium venire nuntiabat. Mittitur *Gabriel*, id est, fortitudo Dei; qui dominum virtutum, potentem in prælio; accinctum gladio, venire nuntiabat : & qui eam generationem prædicebat; quæ omnem vim naturæ excedens, ipsius virtutis & fortitudinis diuinæ opus esset. Idcirco enim, inquit Gregorius, Angeli priuatis nominibus censentur; vt signetur per vocabula, etiam quod in operatione valeat. Neque enim in illa diuina ciuitate vllis nominibus opus habent; in qua ex natura & luce diuina, non ex nomine, cognoscuntur. Itaq; ille, qui curandi Tobix causa missus fuerat, Raphaël, hoc est, medicina Dei dicitur: quemadmodum hic, qui virtutis partum nuntiat, virtus & fortitudo appellatur Dei. Mittitur autē, a Deo ipso, non ab aliquo superiore Angelo, (quod tamen aliquando factum esse legimus) ne cui vel beatorum spirituum, antequam virgini suum Deus reuelasse putetur consilium; vt noua gratia, noua liberalitas & munificentia soli vir

D

gini

gini primùm declaretur. Effecerant enim primi parentes nostri, per illud familiare cum Diabolo colloquium, vt à diuino consortio & contubernio excluderentur. Itaque per multas quasdam ambages, locutus est Deus cum hominibus; nunc ipse sine omni medio, suum mittit ad virginem nuntium. Mittitur autem à tota trinitate hic nuntius, cuius omnia opera, in his quæ extra operatur, communia sunt. Nam & patri incumbibat prouidentia, de filio sponsaque ac genitrice eius: & ipsi filio de templo & tabernaculo suo: & Spiritui sancto tanquam paranymphe & obstetricanti de nouo & inusitato partu. Sed quomodo mittitur à Deo, si Dominus (vt paulò post dicet Angelus) cum illa est? Quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt: & quæ ipse potest per se præclare perficere; illa per media facere solet. Ille ipse ægros curat; sed manu medici: ille terras fecundat; sed opere agricolæ: ille victorias dat; sed sudore & labore militis: ne eorù tantùm quæ alienæ actioni subiecta sunt, & non agunt; sed & eorù, idq; multò magis, quæ agendi vi sunt prædita (quod docebat Plotinus) sit Deus & Dominus; quod hæretica Babylon, vel non videt, vel videre non vult. Mittitur autem Angelus, *ad* angelicam vitam ducētē; vt sit conueniens nostræ reparationis principiū nostræ perditionis principio: vt scilicet Angelus à Deo  
ad vir-

ad virginem partu consecrandam diuino mitteretur: quemadmodum olim à diabolo serpens missus fuit ad virginem Euam, nostri fundi calamitatem, spiritu superbix decipiendam. Proinde illa serpenti credens libidine corrupta est; hæc Angelo credens virgo seruatur: vt filij Euæ, qui ex corrupta nascerentur corrupti; per filium virginis, qui ex incorrupta natus est, saluarentur, liberarentur, & sanctificarentur. Quod præclare explicat Irenæus: *Seducta est male, inquit, illa, quæ iam viro destinata erat virgo Eua: per veritatē euangelizata est bene ab Angelo iā sub viro virgo Maria. Quemadmodū enim illa per Angelicū sermonem seducta est, vt effugeret Deū, præuenticata verbum eius; ita & hæc, per Angelicum sermonē euangelizata est, vt portaret Deum, obediens eius verbo: & sicut illa seducta est, vt effugeret Deum; sic hæc suasa est obedire Deo, vt virginis Euæ, virgo Maria fieret aduocata.* Addit Epiphanius: *Eua mortis causa facta est hominibus; per ipsam enim mors ingressa est in mundum: Maria verò causa vitæ, per quam genita est nobis vita, & per hanc filius Dei accessit in mundum: & vbi abundauit peccatum; ibi superabundauit & gratia; vt vita pro morte fieret: & qui per mulierem nobis vita factus est; mortē ex muliere indutam excluderet: & quoniā illic Eua, cūm adhuc esset virgo, per inobedientiā transgressa est; è contrario per*

*virginem obedientia gratia facta est, annuntiato ad-  
 uentu in carne de caelo, & vita aeterna. Mittitur au-  
 tem ad virginem hic talis nuntius, non frustra, sed  
 magnas & graues ob causas: partim vt priùs mens  
 virginis verbo instruèretur, quàm illud carne con-  
 ciperet; felicior enim fuit virgo percipiendo fidem  
 Christi, quàm concipiendo carnẽ eius, inquit ma-  
 gnus Augustinus: partim vt possit esse certior testis  
 tanti sacramenti, de quo est diuinitus instructa: par-  
 tim propter spontaneum & voluntariũ consensum,  
 sine quo nec bonum nec malum quicquam potest  
 esse; & sine quo Deus nihil in homine operari solet:  
 contraquàm falsò iudicat hæresis: partim vt osten-  
 deretur hoc ipsum esse quoddam spirituale matri-  
 monium, inter filium, inquam, Dei, & humanam na-  
 turam, cuius per hoc & tale nuntium expectabatur  
 consensus, virgine, loco totius humanæ naturæ, con-  
 sentiente, ac beneficium caeleste submissè, ac reue-  
 renter amplectente. Mittitur ergo Angelus ad vir-  
 ginem: virginem, inquam, mente, & animo: vir-  
 ginem affectu & proposito: virginem voto: virgi-  
 nem corpore, & sensu: virginem sermone: virginẽ  
 moribus, ac omni vita & operẽ. Cuius dotes & lau-  
 des, cum vna aliqua, aut oratione, aut imagine; ne-  
 que scriptura, neque ecclesia, neque sancti patres,  
 dignè exprimere potuissent: illa multiplici imagi-  
 num*

num, adiunctorum & similitudinum congerie exprimere conantur; dum illam *matrem pulchræ dilectionis*, propter excellentiam & dignitatem vocant: *electam* *ut solem*, *pulchram* *ut lunam*, propter singularitatem atque claritatem: *cupressum*, *cedrum*, *palnam*, *lignum paradysi*, *aciem ordinatam*, propter robur, diuturnitatem & stabilitatem: *lilium*, *rosam*, *florem campi*, propter candorem & odoris fragrantiam: *puteum aquarum*, *fontem signatum*, *hortum conclusum*, *virgam Aaron*, propter fecunditatem: *rubum ardentem*, *nusquam tamen adustum*, *speculum sine macula*, *vellus Gedeonis*, *arcum fœderis*, *portam clausam*, *soli Deo apertam*, propter puritatem & integritatem: *ciuitatem Dei*, *portam cæli*, *thronum & arcam Dei*, *domum excelsi*, *templum sanctum*, *aulam regis*, *thronum Salomonis*, *cælum gaudij*, *montem obumbrantem*, *montem Dei pinguem*, *coagulatum*, *montem iucundum*, *montem in quo Deo habitare placuit*: *candelabrum aureum septem lychnorum*, *turrim Dauid*, propter Dei in ea residentiam: *arcam Noë*, *præsidium ac portum salutis*, *stellam maris*, propter confugium. Adde illam innumerabilem, quæ à sanctis patribus ei tribuuntur epithetorum copiam: *triclodium trinitatis*: *sacrarium spiritus sancti*: *cæleste tabernaculum Dei*: *mysticarum secretarium nuptiarum*: *sponsam trinitatis*: *parentem parentis*: *fontem*

tem fontis viui: originem principij: creatoris matrē:  
 incircumscripti circumscriptionem: nutricem om-  
 nia nutrientis: cuncta comprehendentis compre-  
 hensionem: gestatricem eius, qui suo verbo portat  
 vniuersa: paradysum secundi Adami: sanctam vir-  
 ginitatis tellurem, ex qua nouus Adam, noua ficti-  
 one formatus est, qui veterem saluti restituit for-  
 mam: matrem viuentium: gloriam luti nostri: præ-  
 claram naturæ nostræ coronam: solis gloriam: fon-  
 tem lucis, omnem hominem illuminantis: solis or-  
 tum, nullum ferentis occasum: abyssum gratiæ: ma-  
 re curationum: mare spiritale: gratiarum pelagus:  
 arcum fœderis: vitem veritatis fœcundissimam, &  
 quoâd virginitatem nunquam vindemiatam, nec  
 vnquam manu humana fossam: nubem cælestem  
 Spiritu sancto coruscantem: sacram & animatam  
 arcam Dei viuentis, manna cæleste continentem:  
 aurum purum: thronum Cherubico splendidiorē:  
 cathedram Cherubicam: lucernam ardentem: vr-  
 nam auream: animatum altare panis vitæ: cliba-  
 num intellectualem, qui panem vitæ peperit: sacrū  
 Dei fermentum: thesaurum dispensationis: arma-  
 rium vitæ: Dei splendidissimum & luculentissimum  
 vas: admirabile opus excelsi: purpuram regis: tē-  
 plum maius cælo: volumen nouum, in quo ineffa-  
 bile Dei verbum inscriptum fuit: purificantis car-  
 bonis

bonis forcipem: hortum virentem salutis: pratum  
 totius fragrantie Spiritus sancti: hortum deliciarum:  
 agrum amplissimum: speciosissimi floris radicem:  
 Bethleemicam illam cisternam, quam veluti vite re-  
 ductricem David desideravit: telam, ex qua, & in  
 qua ineffabili quodam modo admirabilis illius vni-  
 onis tunica est contexta: Angelorum gloriam: morta-  
 lium vitam: fidelium facem: virginem virginum:  
 matrem matrum: in mulieribus virginem beatissi-  
 mam: restorationem foeminei sexus, quia per ipsam  
 à ruina patrie maledictionis sunt subtracta: pretio-  
 sam margaritam orbis terrarum: coronam virgi-  
 nitatis: consolationem infirmorum: redemptionem  
 captiuorum: liberationem damnatorum: salutem v-  
 niuersorum: dulcedinem credentium animarum: v-  
 nicum leuamen molestiarum: omnium cordis do-  
 lorum medicamentum: lætitiæ organum: immensi  
 cælestis gaudij genitricem: matrem filij vbique re-  
 gnantis: matrem & virginem: matrem vitæ: ma-  
 trem gratiæ: matrem misericordiæ: mundi reginam  
 & dominam: regenerationis heram: sceptrum recte  
 fidei: magnum miraculum ecclesiæ, decus, gloriam, &  
 firmamentum: contemplatiuæ cognitionis intellectu-  
 ale speculum: dioptram perspectiuam, per quam Dei lu-  
 men perspicitur. His illa epithetis & aliis multis ab  
 Athanasio, Ephrem, Cyrillo, Epiphanio, Augustino,  
 Ambro-

Ambrosio, Gregorio, Bernardo, Andrea Ierosolymitano, Epiphanio, Hefychio, Chysippo Ierosolymitano, Methodio martyre, Pantalæone, Damasceno & aliis insigniri solet. Sed & Rabini non obscurioribus epithetis, hanc regis Mesię matrē honorârunt. Hanc enim petram primariam vocant, ex qua veluti excidendum esse Mesiã, prædixit Daniel: hanc primam creaturarum in humano genere, primumque hominem à peccato prorsus immunem: hanc prophetissam, quæ cuncta præ cæteris norit, omniumque prophetarum dominam & magistrã: hanc abacû Dei, in quo gloriã maiestatis suæ mortalibus cunctis ostenderet, appellant. Quorum quidem attributorum illam rationem adfert magnus Athanasius: *Quandoquidem ipse rex est, qui natus est ex virgine, idemque & Dominus & Deus; eapropter & mater, quæ eum genuit, & regina, & domina, & deipã propriè & verè censetur: licebitque nobis ita congruenter dicere, dum ad ipsam, & ad eum, qui ex ea genitus est carniferum filium, respicimus. Fenestra cæli, quia per ipsam, addit Fulgentius, Deus verum lumen fudit seculis. Scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsum homines mererentur ascendere in cælos. Nihil horum hærefes, sed contraria omnia; sunt enim ex castris illius, de quo dictum est: *Et tu insidiaberis calcaneo eius.* Ad eam igitur*

tot

tot laudum plenam titulis virginem, Angelus paulò post Deo plenam futuram mittitur. Nasci autem Deum ex virgine debuisse; & prophetarum oraculis, & Sibyllarum carminibus denuntiatum est. Ex prophetis, primus Moyses, ipsius summi creatoris decreta referens, *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te,* Gene. 3. *& inter semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* vbi dicit semen mulieris, non viri, ostendit futurum Messiam, ex incorrupta virgine, sine virilis feminis committione nasciturum. Salomon deinde, sapiens dum sapientiæ pandit conceptus, Lactantio referente inquit: *Infirmatus est uterus virginis, & accepit foetum, & grauata est, & facta est in multa misericordie* Lib. 4. de vera sapientia cap. 12. *mater virgo.* Et ante Salomonem pater eius Dauid: *Permanebit cum sole, & ante lunam, in generatione & generationem, descendet sicut pluuia in vellus,* Psal. 71. id est, sine omni strepitu ac contaminatione: *& sicut stillicidia stillantia super terram,* cum magna vbertate & foecunditate. Sed longè clariùs post istos Isaias: *Ecce, inquit, virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Eesai. 7. Et Daniel item: *De monte abscissum iri lapidem sine manibus.* Dan. 2. id est, de virgine, sine omni opera viri, nasciturum cæli regem, ac omnia aurea, ærea, ferrea, testacea regna comminuturum prædicit. Sibylla similiter,

E

Accipe

*Accipe virgo Deum gremio intemerata pudico.*

Et paulò post, *Puer inde creatus*

*Virgineo partu, mira est mortalibus hæc res.*

Sed & veteres illi Rabini, qui ante Christum vixerunt, hoc idem præclarè docuerunt: dum virginem sanctam mundissimæ Sapphiro comparant: quo nõ solum intemeratæ virginis gloriam; sed ipsius quoque omnimodam puritatem designant. Quia sicut Sapphirus, licet ex elemento terreno, opaco & obscuro originem habeat; à sui tamen principio pellucida & clara est; ita immaculata virgo, etsi à parentibus peccato obnoxiiis prodiit, à sui tamen initio, absque omni contagione atque macula libera fuit. Probant hoc idem sanctorum patrum conuenientissimæ rationes. Sicut enim lignum vitæ in paradiso natum fuit ex illa terra benedicta, quam nullum aratrum aut rastrum tetigit: ita vera vita Christus, secundum carnẽ, ex vtero virginali & intemerato, nullo maritali aut virili amplexu intercedente natus esse debuit. Et quemadmodum primus homo Adam, de virgine, id est terra, quæ nullo vomere aut aratione rupta, nec opere violata est, manu Dei ipsius formatus fuit; ita eodem modo alter Adam cælestis, solo opere spiritus sancti, in vtero intemerato & inuiolato, ex purissimis sanguinibus, homo, virtute altissimi, factus est; vt sic omnes generatio-

nis

nis partes compleantur. Nam prima generatio fuit in Adamo, sine viro & foemina: secunda in Eua, ex viro sine foemina: tertia in nobis, de viro & foemina: vltima facta est in Christo, sine viro de foemina. Quemadmodum enim ipse pater Deus origo & principium rerum, quoniã parentibus caret, & ex nullo est procreatus, ἀπάτως & ἀμήτως, à Trismegisto verissimè nominatur; ita etiam filium bis nasci voluit, vt ipse etiã fieret ἀπάτως atq; ἀμήτως. Ac in prima quidè natiuitate diuina & spirituali ἀμήτως fuit; quia sine officio matris, à solo Deo patre progeneratus est: in secunda verò, humana & carnali ἀπάτως: quoniam sine patris officio è virginali vtero procreatus est. *Ut enim certum esset à Deo missum, inquit Lactantius, non ita illum nasci oportuit, sicut homo nascitur ex mortali vtroque concretus: sed vt appareret etiam in homine, illum esse cœlestem, creatus est sine opera genitoris. Habebat enim spiritalem patrem Deum: & sicut pater spiritus eius Deus sine matre; ita mater corporis eius virgo sine patre.* Fuit igitur & Deus & homo, inter Deum & hominem medius constitutus; nempè vt mediam inter Deum & hominem substantiam gerens, nostram hanc fragilem imbecillemque naturam, quasi manu ad immortalitatem posset educere. Adde, quòd nouo partui, noua debebatur generationis ratio: vt,

Anselmus in  
lib. 2. cur De-  
us homo.

Li. 4. Infitu,

*si Deus concipi vel nasci debuerat, inquit Bernardus, non nisi de virgine conciperetur & nasceretur; & si virgo conceptum & paritum erat: non nisi Deum conciperet & pareret: vt sic quasi duobus testibus probaretur Christi diuinitas, matris virginitate, & patris diuinitate. Conueniebat item, eum, qui in cælis natus est sine matre, hîc nasci in terra sine patre; ne filius Dei alium patrem haberet quàm Deum: ne dignitas Dei patris transferretur ad alium: ne vnus, vt ait magnus Basilius, duobus natus esse putaretur parentibus. Et quemadmodum primum peccatum conceptum fuit in animo mulieris, vt dicit Iustinus martyr, sine vlla opera, aut persuasione viri, solo instinctu spiritus inimici: sic & Christus Dominus, primi peccati antidotum conuenientissimè concipi debebat ex sola muliere, solo spiritu Dei sine omni opera viri. Adde illud D. Thomæ, verbum absq; omni corruptione cordis concipi: quinimò cordis corruptionem, perfecti verbi conceptionem non admittere. Quia ergò caro sic fuit à verbo Dei assumpta, vt esset caro verbi dei; conueniens fuit, etiam ipsam sine corruptione matris concipi, & eodē modo nasci. Quo eodem illud Ambrosii spectat. cuius membra mystica ex virgine ecclesia sancta nascitura erant, iuxta illud Pauli: Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere*

Chri-

Contra Tryphonem,

Christo, ipsum eius corporis caput non nisi ex virgine nasci debuiffe. Ita enim Ambrosius: *Verè de-* In Lucam.  
*sponsata, sed virgo, quia est ecclesiæ typus, quæ est im-*  
*maculata, sed nupta: concepit nos virgo de spiritu, parit*  
*nos virgo sine gemitu. Et ideò fortasse sancta Maria,*  
*alii nupta, ab alio repleta: quia & singulæ ecclesiæ*  
*spiritu quidem replentur & gratia: iunguntur tamen*  
*ad temporaliæ speciem sacerdotis.* Et vt per Euam vir-

ginem adhuc, facta est humani generis perditio: ita per Mariam perpetuam virginem, fieret eiusdè reparatio. Vt igitur à filiis, iræ mortisq; decretū in se ferentibus, distingueretur ille; qui decretū mortis sublaturus erat: iure & meritò ob eas ipsas causas, quas diximus, ex virgine virginitatis author & amator, ac remunerator nasci debuit. Fas enim nō erat, inquit Augustinus, vt per eius aduentum violaretur integritas, qui venit sanare corrupta. *O sancta igitur virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: quia quæ cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti: quæ Ioannem Baptistam, quo non surrexit maior inter natos mulierum, quæ matrem Dei, quæ filium ipsum altissimi, ducem & authorem habes. Quam tamen virginitatem, frigidi isti ac humi repentes nostri euangelici, non modò non mirantur, neq; fount; sed, quantum possunt, infamant, rident, ac extinctam esse volunt. Honorable, inquit, con-* Heb. 13.

*bium in omnibus, & thorus immaculatus.* Verùm. si ea quæ sequuntur spectes: *Adulteros enim & fornicatores iudicabit Deus.* At, si ad virginitatem te referas, tum illud Pauli audies: *Qui elocat filiam suam, benè facit: qui non elocat, meliùs facit.* Nam & argentum pulchrum & honorabile est, si illud cum plumbo & scoria compares; at, si idem cum auro conferas, nihil est quod multùm argentum laudes. Bonus est proventus tricesimus; sed melior quinquagesimus: & utroque longè præclarior centesimus. Sed doctrina talibus authoribus orta, quid doceat aliud quàm ventrem, & ea quæ illi subiecta sunt? Verùm nos ad alia transeamus. Mittitur igitur Angelus ad virginem, sed *desponsatam viro*: Desponsatam, non tamen nuptam: Hanc enim nuptam Ioseph nunquam deserere cogitasset. Desponsatam autem, non solùm propter ministerium, non solùm propter legem generisq̃ successionem: non solùm propter publica munera, ac tot laborum, tot fugarum solatium: non solùm ob integritatis virginalis testimonium: non solùm vt in matrimonij carnalis vmbra, mysteria redemptionis nostræ celarentur, vt docet Sanctus Ignatius, atque Ambrosius, vt quemadmodum Diabolus Euam sub fructu; ita Diabolum Maria sub connubio caperet: & qui spe diuinitatis seduxerat hominem, carnis præ-

prætextu deciperetur : non solùm propter firmitatem fidei nostræ ; causam enim mentiendi sponsa non habet, cùm coniugii præmium & gratia nuptiarum partus sit fœcunditas : non solùm vt ordo vterque tam virginalis , quàm coniugalis eodem partu consecratur & honoretur ; sed multò magis , vt placet Ambrosio , ne temerata virginitatis mater adureretur infamia ; vt sanctus sanctorum sanctè , non solùm quantum ad rem ipsam , sed etiam quantum ad opinionem nasceretur : nevé vlla prauæ suspitionis , aut in matre , aut in filio macula relinqueretur : *Maluit enim Dominus aliquos , inquit Am- In Lucam. brosius , de suo ortu , quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneam esse virginis verecundiam , & lubricam famam pudoris : nec putauit ortus sui fidem , matris iniuriis astruendam : & qui nascendo integritatem matris non minuit , nec eius gloriã aliqua de decoris la- be aspersam esse voluit. Nec enim in hoc venit ; vt , quæ nostra essent , imminueret : sed vt ea nouis accessionibus aucta cumlaret.* Et ideò commentum Caluini non placet ; qui promissam tantummodo sponsam fuisse Ioseph , & nõ etiam domũ traditã docet. Quomodo enim grauida & plena vtero , in domo paterna infamiam effugisset ; si promissa tantum , & non etiã tradita marito fuisset ? sed ille , dum casta ex mutuo consensu matrimonia euertere vult , virginem infamiam ,

miæ, non ad dæmones tantum, sed etiam ad homines, vel contra suam sententiam, quod ambitiosi facere solent, exponit. Seruatur itaque sanctæ Mariæ, sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas. Oportet enim sanctos, & ab iis testimoniū habere, qui foris sunt: nec decuit sinistra virginibus opinione uiuentibus velamē excusationis relinquere: quod infamata quoque Domini mater videretur: & ut in omne reliquum tempus, detur exemplum omnibus quidem, præcipuè tamen regibus, atque principibus domos suas, non solum à factis, sed etiam ab omni suspicione facti, alienas habere. Multa enim, plerunque in principum ædibus eueniunt: quæ, etsi mala non sint, ac ioco nonnunquam fiunt; serió tamen nomina eorū & domos infamant, multisq; malum exemplum præbent. *Desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David.* Salutar ab Angelo, desponsatur lignario fabro. Pulchra virtutis corona pulchra permistio, inquit Bernardus, virginitatis & humilitatis, sine qua ne virginitas quidem placuisset. Per humilitatem placuit: per virginitatem concepit: per hancque scalam Deus ad homines descendit. Vide autem rex Stephane, rerum humanarum miram vicissitudinem ac conuersionem, domus inclyta David, diues opum, diues gloria, ad mercenarium fabrum est reuocata:

sic

*sic, omnia sunt hominum tenui pendentia filo :*  
*Et subito casu, quæ valere, ruunt.*  
 Ex magnis parua ; & rursus ex paruis magna vicif-  
 sim exoriuntur. Nihil igitur hîc magnum, nihil diu-  
 turnum, nihil meritò censerî debet admirandum.  
*Et nomen virginis Maria :* quod quidem aliis do-  
 mina, vt Theophilacto : aliis exaltata, vt Hierony-  
 mo : amaritudinis mare aliis : stella maris, periucun-  
 dè Bernardo dicitur. quia sicut sydus sine sui dimi-  
 nutione emittit radium ; sic illa absque sui læsione  
 parturiuit filium : nec syderi radius suam minuit  
 claritatem ; nec virgini filius integritatem. Stella  
 clara in ortu conceptionis suæ : clara in summo car-  
 dine generationis Christi : clara in occasu assum-  
 ptionis suæ. stella maris, cuius vita inclyta cunctas  
 illustrat ecclesias : & quæ suo exemplo, suffragio, &  
 merito naufragantes seruat : quæ cui benigna ap-  
 paruerit, eum in spem optimam portus & salutis  
 erigi oportet. Quæ tamen stella, lumen, vim, & di-  
 gnitatem, veri solis Iesu Christi non aufert ; sed ab  
 illo potius accipit, illique inseruit. Neque enim aut  
 cum modernis Hagiomachis, matrem Dei contem-  
 nimus : neque cum antiquis Collyridianis, qui vir-  
 ginem sanctam, tanquam Deam coluerunt, illique  
 sacrificia sua offerebant, Deam putamus : sed filium  
 quidem, vt verum Deum colimus ; matrem autem

tanquã gratia plenam, & cum qua est Dominus, benedi. & i super omnes mulieres prædicamus; ab illo opem, ab hac preces petimus: & illũ quidẽ coronã primã & summam cũ Hieronymo confitemur; hanc autem coronam sub corona Christi. Et hic quidem apparatus legationis tantæ est; in quo nihil cernimus, quod non magnum sit; & quod non dignissimam, imò propemodum solam, eam legationem esse probet. Siue enim mittentem, vt diximus spectes, hic Deus est, ipsa que summa trinitas, qua nihil maius, nihil sublimius, aut esse, aut cogitari potest; siue eum qui mittitur, princeps est Angelorum, summus Archangelus; siue ad quem mittitur, mater Dei est; siue quò & quando mittitur, tempus quidem creationis & renouationis, locus redemptionis; siue qua de causa, inauditi connubij, inauditæ vnionis, inauditæ salutis gratia. Deum immortalem, hominum né causa hæc tanta fiunt? aut quis modus diuinæ dilectionis & amoris erga nos? aut quo & quanto nostro mutuo pro tantis beneficiis opus est? Hæccine huius luti ac cineris, tanta dignitas est? Quod si hic apparatus eius legationis tantus; quæ & qualis legatio futura? aut qua præparatione, non tam aurium, quàm cordis, vt cum fructu hæc tanta arcana in animos nostros influant, & ibidem remaneant, opus est? Huc igitur animos, huc mentem, huc aures conferamus,

# NVNNTII SALVTIS

## SERMO SECVNDVS.

*Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS.*

**A**pparatum & expeditionem caelestis legationis vidimus: nunc ipsam legationem erectis mentibus & animis audiamus. Cuius, ex more aliarum legationum, duræ sunt partes, salutatio, donorumque exhibitio, atque ipsa negotij explicatio: Vtramque suo ordine expendamus.

Ingreditur igitur in sacrarium pudici cubilis Angelus ad virginem: ingreditur medius inter Deum & hominem, pignus reconciliationis ferens. Inuenit verè almam, id autem est absconditam. Virginitas amat secretum, inquit Ambrosius: vas vitreum ne frangatur, tectum feruari oportet. Nam & arca testamenti nunquã ab interiori templi parte efferebatur. Clausum erat cubile; sed hominibus, nõ Angelis, quibus nihil clausum est: facilè autem erat Angelo, id est ministro sponsi, clausis ianuis ingredi; sponso, vt putat hæresis, difficile erat, ac planè impossibile? dementiæ hoc est. Sola autem virgo erat in templo animi sui commorans, sed nunquam

minus sola; Deus enim erat meritò solitudinis cum illa. Sola, sed non otiosa, sed lectioni atq; contemplationi futurorum mysteriorum dedita. Beatam autem illam solitudinem omnibusque celebritatibus anteferendam, cui cum Deo & Angelis conubernium est. Dominus enim vacuos complet, solitarios comitatur, plenos euacuat, comitatos à turba desertos facit. Soli igitur aliquando simus, vt Dominum comitem habeamus. Accedit ergo Angelus ad angelicam vitam ducentem: stupet nouæ & nulli antea Angelorum cômiffæ legationis onere pressus: & vnde in causam ingrediatur, meditando similis factus cogitat, quid primum, quid vltimū eloquatur: num lætam esse iubeat: num gratia plenam annuntiet: num Dominum cum ea: nū benedictam inter mulieres: num Deum genituram. Quid enim prius aut maius sit, vel Angelico ingenio difficile est discernere. Illud igitur apud se statuit, salutis hanc legationem esse, immensi gaudij procemium, inde ordiendum esse, inde auspican- dum restituendi generis humani negotium. In omni cogitat læsæ maiestatis pacificatione, primam fieri infamiæ, quæ perduellem sequitur, sublationē oportet; cum infami enim nō est transactio. Omne autē mulierum genus, propter Euam eiusque transgressionem, infame est, dolori & molestiæ partus subie-

subiectum. Hoc igitur decretum, primò à virgine auferam, eamque gaudere ac lætari, summæ Trinitatis nomine, iubebo. *Aue* igitur, inquit, *Maria*. Omne genus mulierù dolori & mœrori in suo partu obnoxiiũ fuit; tu prima, in gaudio & lætitia, absq; omni mœrore paries: nec tãtũ in tua solius lætitia & gaudio paries, sed cõmune hoc erit cunctis mortalibus gaudium; NASCETVR ENIM ILLIS EX TE SALVATOR. Omnes aliæ mulieres damnationi pariebant; tu saluti paries: nam si in Ioannis nuntij & præcursoris salutis natiuitate multi gaudebunt; quantò magis in natiuitate ipsius salutis omnes gaudere debebunt? Gaude igitur gratia plena, plenè ac superplenè gaude. Tuum est enim reuera auere & gaudere: tuum est verissimè audire istud, Gratia plena, quia tecum est vniuersus lætitiæ thesaurus, totius lætitiæ & gratiæ, rex cum ancilla: cum speciosa inter mulieres, speciosus forma præfilijs hominum: cum puella impolluta, is qui sanctificat omnia. Tecum est conditor omnium: tecum, inquam, vt ex te gignatur: tecum conceptione, vt ex partu tuo generetur: tecum velut Deus, vt ex te fit Deus & homo. Nuntius Euæ, nuntius fuit doloris; nuntius tuus, nuntius gaudij. Sit noua salutatio, in noua gratia: in nouo partu, nouum exordium: in noua causa, gaudij vocabulo saluteris, quæ veri

gaudij largitorem feres ab illo, qui veri gaudij munera fert. Ave, inquam, gratia plena; pater misericordiarum operis manuum suarū recordatus est; qua eadem manu tecum nunc reconciliatur. *Ave, inquiūt Andreas Ierosolymitanus, atq; Hesychius, gratia plena, multis virtutibus exornata virgo, in lampade gestans lucem inextinguibilem, sole splendidior: gaude, inquam, utpote inter omnes virgines in matrem Dei electa. Ave gratia plena, hanc spiritualis escæ; in te siquidem habemus diuinitas. Ave gratia plena, lætitie organum, per quod ruinæ nostræ sunt restituta; & verè gaudij plena facta est compensatio. Ave gratia plena, quæ sitientes perennis fontis satias dulcedine. Ave gratia plena, mare spirituale, habens cælestem Christū. Ave gratia plena, splendidum cælum, quæ in cælis incomprehensum continet Deum. Ave gratia plena, quæ cherubicū thronum diuinitatis fulgore superas. Ave gratia plena, quæ cæli circulum habes, & Deum incomprehensum, angusto potissimū loco, in te ipsa continet. Ave gratia plena, nubis columnæ similis, quæ Deū habes, qui populum deduxit per desertum. Ave lux, ave pax, ave gaudium, & salus mundi; ave generis humani lætitia, patrum præconium, lignum vitæ, paradyse deliciarum, liberatrix & auxiliatrix. Duo autem verba esse, inquit Damascenus, orbi nunciata.*

ata, qualia in terris nec aliquando dicta, neque dicenda sint, in quorum comparatione omnia muta debeant apparere. Primum verbum, quod ipse rugitum altissimæ vocis appellat, in hoc Archangeli dicto statuit; Ave gratia plena: eo enim incarnationem Dei, redemptionem hominum, & mundi renouationem, docet contineri. Alterum verbum Ioanni tribuit, qui, vt verè filius esset tonitruui, vocem illam tali aquila dignam protulit: In principio erat verbum. Neque verò nudis solis verbis Angelus virginem gaudere iubet, sed eo amplius causas, cur meritò gaudere debeat, subnectit; ac dona, quæ cælitus fert, largè promit. Quarum prima hæc est, eam esse *gratia plenam*. Iram, inquam, primæ sententiæ amplius ne metuas, sublatum est Euxæ decretum: tu non modò Deo grata, sed gratissima; sed gratia plena & es, & vocaberis semper. Ac si diceret, omnes dotes, quæ gratiam Dei consequuntur, affatim es consecuta: tecum est fons vniuersæ gratiæ. *Plena, inquam, illuminatione sapientiæ*, inquit Bonauentura: *plena mundatione gratiæ: plena possessione bonæ vitæ: plena vnctione misericordiæ: plena fœcundatione prolis piæ: plena perfectione ecclesiæ: plena resperione odoriferæ famæ: plena resultatione diuinæ gloriæ: plena etiam fruitione æternæ lætitiæ*. Est autem affirmantis potius oratio hæc, quam

quàm futurum beneficium prædicentis; magisque de præfenti gratia gratulantis, quàm futurum quid denunciantis. Oblatio est muneris, non simplex salutationis officium, inquit Chryfologus. Gaude, ut potè inter omnes virgines in matrem Dei electa, inquit Euthymius. Quæ quidem gratia, Dyonifio, est deificatio: quæ, cum accesserit similitudo, creaturam creatori amabilem & dilectam reddit. Gregorio Nyffeno, puritas dicitur à fonte Christo in nos deriuata: vel sicut Basilus loquitur, Spiritus sancti participatio. Chryfostomo, bonitas infusa immensa: Eusebio, puritas occulta: Cyrillo Alexan: sanctitas, quæ nobis insit à Christo communicata: Prosper, virtutes, & Deum ipsum in nobis habitantem vocat: Macarius, arcana quædam cælestis pulchritudinis vestimenta nuncupat: Augustinus verò, ut diligentissimus, ita integerrimus gratiæ vindex, vocat illam occultam quandam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritualis & dilectionis, quam Deus infundit & paruulis: vocat interioris hominis pulchritudinem, & pignus donumque spiritus, per quod operamur iustitiam, & à præuaricationis damnatione liberamur. Eidem gratiæ tribuit nouitatem & virtutem tantam spiritus viuificantis, quæ iustificatos, non solum à lege peccati & mortis liberet, sed etiam intus hominem iusti-

De cæl. hier.  
cap. 1.

Lib. de perfecta hominis natura.

Lib. de Spiritu S.

In Psa. 118.

De corpore & sanguine Domini.

Lib. 11. Thez. cap. 3. & 5.

De libero arbitrio.

Lib. de perfectione spirituali

Lib. de peccati. & re-

mis. ca. 9. & 10. Item lib.

4. contra duas epist. Pelagianorum c. 5.

epist. 65. ad Consentium

lib. de Spiritu

& lit. ca. 15.

& 30.

iustificet, ac legem vniuersam docet impleri; conuersos enim à Deo gratia eius adiuuari, vt carnis vincant concupiscentias; & in accepta iustitia, tum proficiant, tum perficiantur. Benè autem sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla meruerat alia, consecuta est, vt gratiæ repleretur auctore. Mirari autem hoc loco licet, eius spiritus, qui hæreticos vexat, & qui à principio genus humanum seduxit, malignitatem & inuidiam: cui non satis est legitimæ potestati, Pontificibus, inquam, regibus, ac aliis in sublimitate positis, inuidere atque obrectare: non satis est viris sanctis, & probis ac religiosis detrahere: non satis spiritus sanctos, qui perpetuo cælo fruuntur, odisse; nisi ipsi matri Dei, hanc ipsam plenitudinem gratiæ, quam illi nunc cælitus Angelus nuntiat, inuideant. Itaquæ hunc ipsum locum, *Gratia plena*, miris modis deprauare ac inuertere moliuntur, iam ipsius vocabuli multiplici interpretatione, iam expositionibus variis, ac longissimè petitis, contra omnem omnium veterum sensum ac consensum, commentis potius, quàm commentariis. Alij igitur verbum Græcū *εχαριτωμένη* exponunt, gratiosa, vt Bucerus: aut gratiam consecuta, vt Calvinus: aut gratis dilecta, vt Beza: alij gratificata & dilecta, vt Bulingerus: alij grata Deo, passiuè, quòd ipsa sit in gratia, sicut Sarcorius & Æmylius, inter-

G

pretan-

pretantur: alij, cui Deus faueat, vt Lofsius: alij, accepta, vt Castalio: vel quæ in gratiam à Deo recepta fit, vt Hemingius, interpretantur. modò illud, quod Bernardus, quod Ambrosius & vniuerfa vetustas sequitur, non imitentur. Vt autem verbi interpretatione tantum honorem virgini ereptum esse volunt; sic multiplicibus loci expositionibus hoc idem efficere conantur. Quorum summa illa est: Virginem, nullo præcipuo, aut lumine, aut dote, aut ornamento, vel charitatis, vel humilitatis aliorumque donorum, cælitus illustratam, & dotatam fuisse: sed iplo solo vacuo fauoris, aut dignationis nomine, fallacis & egentis mundi more, compellatam fuisse. In qua gratia nihil plus reponunt, præter ipsam peccatorum remissionem, qualem publicanus, qualem Maria Magdalena, qualem latro in cruce, consecuti sunt. Quasi verò, vlla vnquam peccati labe contaminata fuerit illa; quam etiam à mentione peccati excipit Augustinus: qui non tantum eius gratiæ, qua virgo singulari quodam priuilegio repleta fuit, sed omnis etiam omnium aliorum sanctorum gratiæ, cum Diuo Paulo, duas partes ponit: peccatorum inquã remissionem, & spiritus charitatis infusionem. Neque enim satis est mori peccato, nisi resurgamus iustitiæ; vt peccato mortui, iustitiæ viuamus: aliudque est ablui, aliud sanctificari. *Et hæc,*  
inquit

inquit Paulus, *fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, &c.* Quæ igitur hæc eſt impudentia, aut potius blaſphemia, nõ plus tribuere matri, quã publicano, Magdalenæ, latroni (quanquam & iſti ſuis gratiæ donis, & gradibus, id eſt, charitatis, humilitatis, pœnitentiæ, non caruerint) tributum ſit? Quasi verò, cùm inter alios omnes ſanctos munificentiffimus Dominus largè talenta ſua diſtribuerit; ſolam matrem nudam & indotatam reliquerit! aut quaſi nouum ſit electos Dei ſpecialibus donis exornari, ac priuilegiis! Sic Ioannes ſpiritu ſancto repletus eſt in vtero matris ſuæ: ſic Paulus gratiam Dei in ſe manſiſſe, nec vacuam fuiſſe profitetur: ſic Stephanus prothomartyr gratia & fortitudine plenus dicitur. Quid? nonnè lógè maius illud eſt: *Si quis diligit me,* Ioan. 14. *ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus?* Sed ſerpens iſte prodit ſe illum eſſe, de quo dictum eſt: *Et tu inſidiaberis calcaneo eius.* Non igitur aut vana, aut ieiuna, aut aulica, aut hæretica, hæc gratia fuit; ſed quæ omnes gradus plenitudinis in vniuerſitate gratiarum omnium habuerit: ſiue illam plenitudinem gratiæ ſpectes, quæ ſacramenta conſequitur: ſiue quæ virtutes, tam eas quæ Chriſtianæ dicuntur, quàm eas quæ morũ ſunt: ſiue ſeptiformem plenitudinem donorum: ſiue bea-

titudines ipsas: siue fructus spectes à Paulo explicatos: siue reliquas dotes, etiam illas quæ gratis dantur, consideres: vt prolixè & subtiliter ea singula

In Luc. ca. 1. probat & inuestigat Albertus, illudque addit: eam omnibus modis gratia plenam dici: Primò, quia omnes gratias generales & speciales, omnium creaturarum, perfectè habuit. Secundò, quia illas gratias habuit, à quibus omnis vacua fuerit creatura. Tertiò, quia sua gratia tanta fuit, quòd pura creatura maioris gratiæ capax nõ fuerit. Quartò, quòd gratiam increatam totam in se continuit; & sic eam per omnem modum gratia plenam fuisse. Tribus autem in omni scriptura tributum esse legimus, eos scilicet gratia plenos fuisse: ipsi Iesu Christo saluatori nostro imprimis, iuxta illud: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre, plenū gratia & veritate.* Stephano prothomartyri: *Stephanus, inquit Lucas, plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo.* Et nūc virgini tribui audimus, *Plena gratia*: suo tamē modo cuiq; Nam Christus quidem plenus gratia dicitur, per naturam absolutè, & vt scholastici loquūtur, propria, datiuā, & effluxiuā gratia, fontis instar, non receptiuā, non ab vllò communicata: omni ex parte, siue essentiā gratiæ, siue operandi virtutem, siue primos & summos effectus spectes, perfectā; eò quòd tota & vniuersa,

uerfa, non capitis tantum, sed etiam membrorum omnium, ac vniuersæ tam militantis, quam triumphantis ecclesiæ, gratia Dei, sit & requiescat super illum. *De eius enim plenitudine accepimus omnes: siue illa sit mater Dei, siue Stephanus, siue alius quis sanctus. quicumque aliquando placuerunt Deo, ipsius merito & eius gratia placuerunt, iuxta illud: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, Psal. 122. barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* Stephanus autem, & Maria, pleni item dicuntur gratia; sed iam longè dispari modo: ille enim simpliciter ut dictum est, & per omnia gratia plenus fuit, super quem inhabitauit plenitudo diuinitatis omnis; at isti pleni gratia pro capacitate quisque sua, gratia susceptiua, ut scholastici loquuntur communiter, riui & fluminis instar; & ad illud opus tantum dignè exequendum, ad quod per Dei designabatur prouidentiam. Quomodo item vas aliquod plenum liquore aliquo dicimus, non quod totum illum liquorem occuparit; sed quod ita plenum sit, ut amplius illius capere nihil possit. Quale quid de vasis 4. Regum. 4. olei Helisei legimus. Quam gratiam alio modo scriptura, talenta, quæ cuique ad eius opus dantur, vocare solet. Et Stephanus quidem fuit gratia plenus, quantum ad inclytam illam & illustrem martyrij pugnam, & victoriam pertinebat: Virgo autem, ut di-

gna mater Dei fieri posset singulari & proprio modo, gratia præ eminentiæ & prærogatiuæ ( vt aiunt scholastici ) plena fuit. Neque enim tantopere suis meritis (quanquam non sine illis)quàm gratia Dei, eo tanto munere digna est effecta. Quantò igitur functio matris maior est omnibus functionibus, omnium quicumque aliquando Deo placuerunt sanctorum: tantò præ omnibus aliis plenior gratia meritò fuisse dicitur, propinquissima fonti, præter vni onem cum Deo hypostaticam, Deo illam eligente & perficiente, per super eminentem quandam virtutem & operationem: & quòd propinquissima auctori gratiæ, illum qui natura gratia plenus est, in se recepit, cumq; tanquam vitis quædam præstantissima edidit: de quo illud: *Erit fons patens domui Dauid, in ablutionem peccatorum, et menstruatæ.* de plenitudine enim illius (vt dictum est) accepimus omnes. Et gratia quidem Christi, gratia fontis est: gratia Mariæ, gratia fluminis, de qua illud: *Fluminis impetus letificat ciuitatem Dei:* gratia sanctorum, gratia riuorum, & palmitum: *Ego sum,* inquit, *vitis, vos palmites.* Gratia Dei balsamum est purissimum, purissimo vase indigens, inquit Bernardus. Quantò igitur vas sanctius Maria fuit, tantò plus eius balsami cepit. Vnde Hugo de S. Victore, his verbis Mariam compellat: *Rectè dicta es gratia plena,*  
de qua.

Zachar. 13.

Psal. 45.

Ioan. 15.


de qua ortus est fons gratiæ; ideò totū nobis quodāmodo à te, quod per illū nobis est, qui natus est ex te. Benè enim dicta es gratia plena, & in tantū plena, vt ex tuo redundante totus hauriat mundus. Si enim prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus; tu prudentissima virgo virginum, non vnum tantū vas habuisti oleo gratiæ repletum, quo lampadem tuam inextinguibilem ardentem nutries; sed aliud gestabas vas redundans & indeficiens, ex quo effuso oleo misericordiæ omnium lampades illuminares, & vasa omnium vsq; ad summum repleres, & in illo nihil minueres. Prudens ergo fuisti, vt tibi prouideres; nec timida, vt aliis subuenires: nec dixisti, ne fortè non sufficiat mihi & vobis; sed sciens quia sufficeret & tibi & nobis, & sufficienter retinuisti, & sufficienter tribuisti; Lumen in lampade, in carne fuit virginitas: oleum in vase, in corde humilitas: & erat aliud vas humanitatis verbi, in vtero tuo gratia plenum; ex cuius plenitudine tu quoque accepisti, & lumen virginitatis in carne, & oleum humilitatis in corde: postea partu intemerato, nobis propinans ipsum indeficiens tribuisti, vt ex illius plenitudine effunderetur; quò & lampades nostræ extinctæ illuminarentur, & vasa vacua replerentur. Sic gratia plena fuisti, cū de terra carnis tuæ, fons gratiæ erupit, vt  
& ma-

& manaret super omnem terram, & irrigaret aridam, & sterilem fœcundaret. Quomodo autem, id quod Christo proprium est, gratia esse plenum, hoc loco datur virgini, datur Stephano; sed longè alio modo & ratione quàm Christo; ita similiter & alia Christi attributa, matri Dei aliisque sanctis dari solent; sed longè diuerso modo, quàm illi. Quod cum hæresis distinguere nesciat, confundit, & accusat. Ita Moysen mediatorem scriptura vocat: Cyrum, Christum domini: Apostolos lucem, ipse Christus: fundamenta, Paulus: sic eandem virginem cum vetustissimo Irenæo, aduocatam, reginam, & matrem misericordiæ, & id genus alia vocare ecclesia solet. Quòd si in nobis ecclesiaque damnant; damnent primùm in scriptura: damnent in ipso Salvatore, qui sua cum suis largissimè communicare solet: damnent in Angelo. Atqui spem, dicunt isti, vestram impiè Mariam vocatis. Vocamus equidem, & libenter, idq; cum Bernardo: Impius igitur Paulus, qui suos Tessalonicèses in hunc modum compellat: *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? vos enim estis gloria nostra, & gaudium.* Sic eodem modo Philippenses: *Fratres, inquit, gaudium meum, & corona mea, sic stete in Domino charissimi.* At in alio

1. Tessã. 2.

Philip. 4.

alio sensu dices, & nos eodem, vti dixi, modo in alio: Vocat Paulus Moysen mediatorem, vocat & Christum Dominū. At qua ratione, ipse se explicat, Christum nempe, *quia dedit semetipsum redemptionē pro nobis: per cuius sanguinem, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt, reconciliantur atque pacificantur, quem præposuit Deus propitiatorem per fidem in ipsius sanguine.* Moysen autē, quia legis ordinatio in manu eius facta est. Quod itē similiter de aliis intelligendum est. Porrò virginē (vt aliquando hunc locū cōcludamus) sanctis aliis, atque adeò Angelis, gratiæ plenitudine multis de causis antecelluisse, testatur scholæ theologicæ princeps D. Thomas. Primū quidem, quòd animam omni gratiæ copia refertā haberet, cum ad omne peccati fermentum euitandum, à quo illa quidem fuerit immunis, tota pulchra & sine macula; tum ad omnia virtutum genera exercenda; in quibus illa velut viuum & absolutum exemplar, se omnibus præbuerit atque præluxerit. Deinde, quòd plenitudo gratiæ ex anima eius ad corpus siue carnem, sicut in nullo alio redundārit; adfuisse illi quippè Spiritum sanctum, cuius amor, non modò sanctificationis gratiam in pectus virginis infuderit; sed etiam singulariter in eo arserit: nec solū in eius corde, sed etiam in carne mirabilia fecerit: illudque potissimum,


 mùm, vt ex illa Deus & homo procrearetur. Postre-  
 mò, illam non sibi tantùm, sed ad communem etiam  
 totius humanæ gentis salutem, præ cæteris omni-  
 bus, & sanctis, & Angelis; qui, neque à Deo sic illu-  
 minantur, neq; mundum adeò illuminare possunt;  
 abundante gratia cumulata fuisse. Accedit & ma-  
 xima, quæ illi est cum Deo, familiaritas, ne Ange-  
 lis quidem obtingens, quæ illam totius Trinitatis  
 nobile triclinium, & omnium creaturarum quasi  
 dominam fecit. Atqui hæc ipsa est illa corona duo-  
 decim stellarum, quæ circumdat caput mulieris:  
 corona duodecim, inquam, priuilegiorum: duode-  
 cim gratiarum, ex quibus Bernardus texit eam ip-  
 sam pulcherrimam coronam: Gratia, inquam, mi-  
 rificæ conceptionis: Angelicæ saluationis: Sancti  
 Spiritus superuentiois: filij Dei immutabilis conce-  
 ptiois: gratia item virginitatis incorruptæ, foecun-  
 ditatis, sine grauedine oneris, puerperij sine dolo-  
 re: gratia denique deuotæ humilitatis, reuerentiæ,  
 pudoris, fidei, martyrij cordis. Non vacua igitur,  
 neque donorum egens hæc fuit (vt hæresis menti-  
 tur) gratia; sed plena omnis vbertatis, atq; foecun-  
 ditatis; vt verè illud virgo dicere posset: *Ego ma-  
 ter pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, &  
 sanctæ spei: in me gratia omnis viæ & veritatis: in  
 me omnis spes vitæ et virtutis.* Verè igitur ipsa gratia  
 plena.

Eccle. 24.

plena. Nos ergo egētes & vacuos faciat participes plenitudinis suæ. Sed vnde hoc illi, vt tanta gratia referta sit, vt tantoperè lætari debeat? num à natura? num ex genere Daudico? num ab aliquo præcipuo merito? nequaquam: sed quoniam Dominus cum ea. Qui ante te, inquit, est, hodie vnà tecum est, vt ex te paulò pòst nascatur: quem prius conceperas virgo mente, nunc vtero concipies: præcedo nuntius Deum, sed à Deo non recedo. O vas mirabile, quod maius seipso continet; idq; neque apertum, neque referatum vnquam. *Dominus*, inquit, *tecum*: tecum certè, tecum fuit, tecum est, tecum erit; quia tu cum eo, tu, inquam, cum eo, voto, studio, moribus, & vita semper fuisti. *Dominus tecum*, in via, Dominus in patria, Dominus in labore & in gloria: ille tecū, qui à patris sinu auelli non potest: gaudium, veritas, via & vita tecum: omnipotens tecum, naturæ totius ac vteri tui dominus tecum est. Qui dixit fiat lux, & facta est lux: fiat firmamentum, & factum est. qui idem ad omnia illa perficienda, quæ dicentur tibi, poterit abundè sufficere. Nihil igitur tibi videatur nouum: nihil difficile, nihil impossibile: confidenter age: omnia potest, qui tecum est. Quid hac re maius? quid sublimius? quid magnificentius esse potest, quàm Deum præsentem habere, quàm eius contu-

2. Reg. 7. bernio frui? Dixerat Nathan Dauidi regi: *Quidquid in corde tuo est, vade, age, & perfice illud; tecum enim*
- Iob 17. *Dñs est. Pone me iuxta te, dicit Iob, et cuiusvis manus pugnet contra me: vbi cunque ille est, cælum & tota*
1. Reg. 18. *cælestis familia adest. Saul percussit mille, & David decem millia, quia manus Domini erat cum eo.* Et de
- Luc. 1. Ioanne inquit scriptura: *Puer crescebat, & confortabatur spiritu; manus enim Domini erat cum illo.* Vtinam autem tibi itidem rex Stephane, in hoc principio huius tui ad nos aduentus, hoc idem contingat, quod Gedeoni aliquando precatus est Angelus: vt Dominus tecum sit, fortissime virorum: vt Dominus non recedat ex corde tuo, non recedat ex ore tuo, non recedat ab opere tuo. & erit certè tecum, si cum illo tu esse volueris: neque enim amat & deserit. Dominus tecū, inquit: sicut flos, cum virga ipsum producente: sicut rex, cum regina ad illū ingrediente: sicut sponsus, cū sponsa in eius amplexu ruente. Dominus tecum, per amorem & cōcordiam voluntatis, cuius non tantū voluntatem, sed & carnem sibi cōiunxit: qui, etsi nec totus de Deo, nec totus de te; totus tamen Dei, & totus tuus est: nec duo filij, sed vnus vtriusq; filius est: nec tantū filius tecū, quem carne induis; sed & pater, & spiritus sanctus, de quo, & per quem concipis, tecū est. Pater, inquam, tecum, qui filium suum, facit esse tuum: Fi-

um : Filius tecum, qui ad cōdendum in te mirabile sacramentū miro modo & sibi referat conclusū secretū, & tibi seruat virginale signaculum: Spiritus S. tecum, qui cum patre & filio tuū sanctificat vterū. Dominus tecum, qui per te factus est Emmanuel, id est, nobiscum Deus. Quòd si magnum est, esse cum Deo, quod de Enoch dictum est, eum cū Deo ambulasse, hoc est, ex omni parte voluntati eius obtemperasse; quantò maius est, cum quo ipse est Deus, hoc est, cuius paret voluntati? Qui igitur est dominus omnium per creationem, dominus hominū per redemptionem, dominus tuus per piā vocationem; erit tecum per præsentiā, per inhabitantem gratiā, per corporalem essentiam. Meritò igitur gratia plena & es, & esse diceris: meritò summo gaudio & summa illa lætitiā gestire debes. Cuius gaudii, non minor illa causa, quia *benedicta es in mulieribus*. Benedicta Dei benedictionibus primū, deinde hominum: benedicta cum Rachel, sed supra Rachel; quia illa mater, sed corrupta; tu mater, simul & integra: benedicta præ mulieribus cum Iudit, sed supra Iudit; quia illa vidua, tu virgo foecunda: benedicta super omnes mulieres cum Ester, sed supra Ester; quia illa inuenit gratiā & misericordiam apud Assuerum, tu verò apud Deum. Neque verò nomine solo inter omnes benedicta, sed re eti-

am ipsa, propter eas dotes, quas habes ante omnes mulieres. Omnes enim omnium seculorum dotes ac benedictiones, siue illæ ante legem fuerunt, siue in lege, siue sub gratia, tua benedictione continentur: ac in eo filio, quem tu paries, & propter illum, in te complebuntur. Nam si propter Iacob benedixit dominus domui Laban, si propter Iozeph benedixit domui Phutiphar, si propter arcam domui Obededom; quantò magis tu benedicta propter eū, in quo benedicendæ erant omnes gētes? Habet autem virgo septē præcipuas dotes, ac peculiaria ante omnes mulieres priuilegia, & prærogatiuas, ob quas meritò beata inter omnes mulieres & est, & dicitur. Primùm, quòd speciali gratia sit plena, ante omnes alios: *Cæteris per partes*, inquit Hieronymus, *præstat, tur; Mariæ verò se tota infudit plenitudo gratiæ.* Cuius gratiã cum Angelorum gratia conferens, beatã, inquit, & gloriosam virginem Mariam credendū est ampliora promeruisse virtutum priuilegia, & percipisse etiã gratiam ab Angelis collaudandã. Secundum tantæ matris priuilegium, quòd nunquam vili peccato obnoxia fuit: non in conceptione sua, non in partu, non in vita, non etiam in exitu suo: de qua illud dici potest; sed longè magnificētius, quod Iudith de se prædicat: *Viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius & huc euntem, & ibi*

*ibi commorantem, & inde huc reuertentem; & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra.* Tertium, quòd ab omni maledictione fuerit alienissima, quod vel ipse Lutherus nolens volens agnoscit. Nam omne mulierù genus maledicto subiectum fuisse hinc patet: vel enim erant illæ quæ pariebant, vel quæ steriles remanserant. quæ pariebant, illud maledictum ferebāt: In dolore paries filios tuos: quæ non pariebant, illud reportabant; Maledicta sterilis, & quæ non parit. Hæc prima talis mulier est, quæ ab utroque maledicto libera fuit; nam & sterilis non erat, mater enim: & sine dolore peperit; Virgo enim, instar amygdali, quæ suo modo habet virginitatem, & fœcunditatem, quæ sibi virorem floris cum partu fructificationis reseruat; vt dicere possit: *Flores mei fructus honoris & honestatis* Eccle. 24. *virgo cum fœcunditate, & mater cum virginitate, vt separet pretiosum à vili. vnde illud: Partus & integritas, discordes tempore longo, Virginis in gremio fœdem pacis habent.* vt, quæ pretiù vniuersitatis debebat parere, cum omni ordine vniuersitatis haberet aliquid commune. Et cum coniugatis commune quidem habuit, partum prolis: cum continentibus, votù castitatis: cum virginibus, perseue-  
ran-

rantia virginitatis: vt dum continentes, coniugatas, & virgines virgineo partu suo redimeret, simul fructus trigessimus, sexagesimus, & centesimus ad eam proueniret. O quam beata mater ista est, quæ sine contaminatione concepit, & sine dolore peperit medicinam, inquit Augustinus; ita vt in ea floreat virginea foecunditas, & foecunda virginitas. O quam magnum & omnibus seculis inauditum priuilegium, quod virgo in vtero concepit, & filium ab altissimo peperit. Merito igitur benedicta inter mulieres, quæ sola omnium maledictum effugit. Singulare hoc priuilegium notauit in Canticis spiritus sanctus: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Dum ventrem tritici aceruo comparat, maternitatis foecunditatem significat: dum liliis vallari & muniri ait, virginitatis florem denotat. Quartum priuilegium, non solum quod omne maledictum effugit, quod simul mater & virgo; sed longè magis, quod eum peperit, qui omnem maledictionem sustulit, omnemq; benedictionem dedit: illum, inquam, peperit, in quo benedicendæ erant omnes gentes. O benedictum agrum, qui hoc frumentum protulit: o benedictum thesaurum, qui eam gemmam cõseruauit: o benedictum campum, ex quo flos iste prodiit: o beatam ouem, quæ hunc agnum genuit. Verè igitur benedicta. Benedicta æterno patri, cuius genu-

genuit filium : benedicta filio, cuius mater est : benedicta spiritui sancto, ex quo concepit : benedicta vniuersæ sanctæ Trinitati, cuius instrumentum facta est : benedicta Archangelis, quam tam sanctè & magnificè salutant : benedicta Patriarchis, cuius partum desiderauerunt omnes : benedicta Prophetis, cuius generationem prædixerunt : benedicta Apostolis, cuius natum illustrârunt : benedicta martyribus, qui eius partus causa vitam cū sanguine profuderunt : benedicta virginibus, cuius castitatem sequutæ sunt : benedicta viduis, quam in Helizabeth omnes beatam appellârunt : benedicta cunctis gentibus, à qua salutem accipiunt : solis euangelicis minus benedicta, qui se ab illius fructu ventris sponte separârunt. *Ille enim est, inquit S. E-*

In oratione  
de laud. be-  
tæ virginis.

*phrem, spes patrum, gloria prophetarum, Apostolorum præconium, & honor martyrum, sanctorum letitia, & lumen studiosorum, Abraam, Isaac, & Iacob; decus Aaron, Moyses, & Gedeon vellus, Hierarcharum cœtus, & omnium sanctorum ac virginum corona ob fulgore inaccessa, acerna aurea, lucerna micantissima, vna cæli manna gestans, tabula scriptam legem ferens mortalibus, arca vera, charta diuinissima, omnium princeps circumspecta et lucifera virgo, consolatio sanctissima, & omnium dux sacratissima virgo; & ided sublimior cælicolis, purior solis radiis, & splendoribus;*

*honoratior Cherubin, & Polyommatis, id est, multo-*  
*culis spiritibus; sanctior Seraphin, & nulla compara-*  
*tione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior.*  
 Age verò, mulieris propria est laus, liberos pare-  
 re; maxima post virginitatem dignitas, summum me-  
 ritū ac benedictio. Vnde Ambrosius, coniugij præ-  
 mium, & gratiam nuptiarum, partum esse foemina-  
 rum docet. Declaravit hoc aliquando Cornelia Sci-  
 pionis soror, Grachorum mater: ad quam cum vi-  
 cina sua venisset, ac sua ornamenta apud illam ia-  
 ctaret, expectasse dicitur, dum filii sui è schola re-  
 darent; qui vbi aduenissent, dixisse fertur: Atqui,  
 ista sunt mea ornamenta. De qua illud etiam scri-  
 bitur, dum, ob orbitatem mœritā, quidam solaretur,  
 eam respondisse, se infelicem esse non posse, quæ  
 Gracchos generauerit. Quod idē longè ante quan-  
 dam fecisse Lacænam legimus, apud quā cum mu-  
 lier quædam Ionica, quadam textura gloriaretur,  
 quòd esset sumptuosa; Lacæna quatuor ei filios  
 præclara indole præditos ostendit: Talia, inquit,  
 oportet esse bonæ probeq; mulieris opera, & in his  
 extolli atque gloriari. Quod similiter D. Paulus do-  
 cet: Ornamentum & meritum mulierū liberos esse.  
 Quæ igitur nobilissimū ex omnibus partum in mun-  
 dū edidit; eam inter omnes maximè benedictā esse  
 oportet. Partus autē Mariæ quis & qualis? ipsa sola  
 filij

filij eius mater est, quod nulli vnquam foeminarum contigit, cuius solus Deus pater est: Hocque illud maximū creaturæ priuilegiū est, inquit Bernardus, vt filium suum eundem cum Deo patre habeat communem, mater redemptoris & iudicis simul. Perueniste Ecclesia, Genuisti, inquit, natura mirante tuum sanctū genitorem. Cui enim vnquam Angelorū aut beatarum mentiū, illud verè licuit vsurpare: *Filius meus es tu, ego genui te.* & illud: *Fili, quid fecisti nobis sic? ego et pater dolentes quærebamus te.* & illud: *Fili vinum non habent.* sufficit angelis illud occinere: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dñus Deus Sabaoth.* Matris hæc est prærogatiua propria, matris decus. Benedicta item in mulieribus, ex illo priuilegio, quòd ipsa super omnes mortales Deo familiarissima fuit. Nam, quòd nunquam vlli concessum est, nec concedetur vnquam, ipsa Deum nouem mensibus in vtero portauit: ipsa Deum vbere de cælo pleno lactauit: ipsa Deum multis annis suauiter educauit: ipsa Deum sibi subditum habuit: ipsa Deū in amplexibus & osculis familiarissimè cõtrectauit. Vnde Augustinus: *Nec mirum Maria, vt dignetur tibi congaudere Deus regnans in cælis, quem paruulū ex te hominem natum, toties osculata es in terris.* Præclarè igitur concludit Andreas Ierosolymitanus: *Ac*

In Deiparæ  
salutationem

verè quidē benedicta; nam benedixit te sibi ipsi De-

us in tabernaculum : quoniam paterna gloria superabundantem hominem Christum Iesum , eundē quoque Deum perfectissimum, iis naturis , ex quibus & in quibus constitit, ineffabili quodam modo in vtero tuo gessisti. Benedicta tu in mulieribus, quæ cælestem thesaurum , in quo alii omnes sapientiæ, & cognitionis thesauri sunt reconditi, in tuto virginitatis tuæ velut promptuario liberrimè complexa es. Verè tu benedicta, cuius venter acervus quidam aræ : quoniam fructum benedictionis, spicā immortalitatis, Christum inquam, sine seminantis ac coloni opera, perfectissimè produxisti; messem copiosam, infinita millia congratulantium sibi de salutis nostræ operario adduxisti. Tu verè benedicta, quæ sola præ matribus omnibus digna es habita, quæ esses mater conditoris tui. ac ita quidem, vt quæ matribus contingunt ignorares; quippè quod ex te per partum prodiit, virginitatem tuam haud corrupit; nam qui formavit, idem quoque communiuit castitatis tuæ signacula. Reuera benedicta tu, quæ sola sine viro concepisti, & in vtero eum gessisti, qui cælos expandit, ac virginitatis tuæ terram cælestem reddidit. Benedicta tu in mulieribus, quæ sola benedictionem es sortita, quam Deus gentibus per Abraham promiserat. Verè tu benedicta, vt, quæ benedicti pueri Iesu Christi seruatoris nostri mater

es nun-

es nuncupata, propter quã gentes acclamant: Bene dictus qui venit in nomine Dñi, & benedictũ nomẽ gloriæ eius sempiternum; & implebitur gloria eius vniuersa terra, fiat, fiat. Benedicta tu inter foeminas, quam beatam omnes generationes prædicant: reges glorificant: potentatus adorant: cuius in cõspectu ditissimi ex populo dona litant: quam & à tergo sequentes & præeuntes virgines in regis templum comitantur. Pensa si potes, inquit Richardus, Lib. 2 Eman: cap. 25. quæ & quanta sit ista mirificentia; virginem concipere, virginem parere, & post partum virginem permanere? Æstima si vales, quæ & qualis ista mirificentia; partum virginis, ab hora conceptionis suæ omnem plenitudinem accipere, & in humanitatis veritate, plenitudinem diuinitatis obtinere? Singularis gloria, specialis est gratia beatæ virginis Mariæ; quæ cum virginitatis honore genuit & peperit filium, nec qualemcunq; sed Deum. Meritò igitur dictum, meritò dicendum: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Verè benedicta, inquit Chrysologus, Sermone 143: quæ & virginitatis possidet decus, matris & pertulit dignitatem. Verè benedicta, quæ & diuini germinis suscepit gloriam, & regina totius extitit castitatis. Verè benedicta, quæ fuit maior cælo, fortior terra, orbe latior. Nam Deum, quem mundus non cepit, sola cepit: porta-

uit eum, qui portat orbem : genuit genitorem suū :  
 nutriuit omnium viuentium nutritorem. Quæ om-  
 nia euangelico fundamento nituntur : quoniã san-  
 ctæ mulieris Elizabethæ tum verbis tum exemplo  
 consonant : quæ non humano, sed prophético spi-  
 ritu permota, imò & spiritu sancto repleta; non mo-  
 dò matrē domini reuerenter excepit; sed illud etiã  
 ingenuè proclamauit : *Benedicta tu in mulieribus,*  
*& benedictus fructus ventris tui.* Et Anselmus : V-  
 num filium sibi consubstantialem, coæternum, om-  
 nipotentem, ex sua natura sine initio Deus pater ge-  
 nuit; & per eum, omnes creaturas, visibiles & inui-  
 sibilis ex nihilo fecit. Hunc igitur sibi tam vnicum;  
 quàm dilectissimum, & in omnibus omninò æqua-  
 lem, non passus est remanere solummodo suum; sed  
 eundem ipsum voluit in rei veritate, esse beatæ Ma-  
 riæ vnicum & dilectissimum, & naturalem filium.  
 nec ita vt duo essent; vnus videlicet filius Dei, alius  
 filius sanctæ virginis Mariæ : sed vnus idē ipse, qui  
 filius Dei, in vna persona esset filius sanctæ virginis  
 Mariæ; & qui filius sanctæ Mariæ, vnus & idem ip-  
 se esset in vna persona filius Dei. Cùm autem amo-  
 rem, quem pater & mater singuli debent filio suo;  
 debet hæc felicissima matrū sola filio suo : amorem  
 etiam, quem debet quilibet filius simul suo patri &  
 matri; debet hic dilectissimus filius solus matri suæ.

Nam

De excellētia  
 virginis Ma-  
 riæ. cap. 3.

Idem cap. 4.

Nam sicut alii filii nascuntur ex patre & matre ; ita filius eius , natus est ex ea sola matre. Excedit itaq; omnes amores parentum in filios , aut filiorum in parentes, amor istius matris in filium suum; & istius filii in matrē suam. Quam verò retributionem sui amoris sit adepta, tota christianitas nouit; quæ illam super omnes cælos exaltatam , & angelicis choris prælatam certissimè credit. Benedicta igitur inter mulieres ; quia *benedictus fructus ventris tui est* : non quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui; sed quia ille te præuenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta. Verè etenim benedictus fructus ventris tui , in quo benedictæ sunt omnes gentes; de cuius plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris , etsi differentius à cæteris : ac propterea quidem tu benedicta , sed in mulieribus; ille verò benedictus, non in hominibus tantùm, non inter angelos ; sed super omnia Deus benedictus in secula. Fructus , de quo comedens Adam protoplastus, euomuit veterem illam deuotionem, qua deceptionis escam sumpserat. Atque hæc est illa summæ Trinitatis salutatio ; hæc est virgini nulli communicata gloria, hoc primum totius euangelii proœmium : à quo meritò illi, qui verbo præsumunt, in Catholica Ecclesia suas ordiuntur doctrinas. & hæc eius interpretatio longè dispar ab illa à spiritu hæretico

And. Ierosolymitanus.

retico profecta, apud Brentium atque Caluinum, in qua nihil cæleste, nihil diuinum resonat; sed proiecta omnia, atque humi repentia: & quæ aut Aspasiæ aut Corneliæ, ne quid durius dicam, rectè possent attribui: *Aue gratiosa*, inquit isti, *cuius conuictum & consuetudinem pleriq; omnes ambiunt; Benedicta seu predicata præ omnibus mulieribus, ut de qua omnes omnia bona dicant, & quam laudent uehementer.* Deprimere hoc potius quàm laudare est. Et multi quidem multa in laudem matris Dei, ita uti dignissima est, in medium adferunt; nihil tamen aut maius aut sublimius illi dari potest, quàm ut sit plena gratia, plena Deo, plena benedictione. Ac proinde ipsa ecclesia, nihil magis frequentat, nullis sæpius eam virginem compellat titulis, nihilq; frequentius in ore suorum resonare vult, quàm eam ipsam tam raram, tam inusitatam, tam honorificam salutationem. Hinc illæ coronæ, illi pinaces, & alia. Videt hoc Diabolus, videt & invidet: ac ex aduerso, à nulla re suos magis arcet, nullam ex illorum manibus excutere magis conatur, variisq; artibus eleuare quàm eam ipsam salutationem. Torquent enim, vruntq; inuidissimū veteratorem tam sublimia verba, tam illustres tituli: hic naturæ humanæ honos: tanta matris Dei, quam ille summè odit, sublimitas: videt consilia sua consultori fuisse pessima: videt fraudes

fraudes suas deductas esse. At quibus argumentis hoc efficere conetur, audiamus. *Quod si* (inquit Calvinus alter post foedum illum Copronymum beatæ virginis impugnator) *Mariæ felicitas, iustitia, & vita ex gratuito Dei amore fluunt; eius virtutes totaque excellentia, mera est Dei liberalitas: plusquam præposterè faciunt, qui ab ea petendum docent, quod aliunde nobiscum habet.* Ter hoc loco cõtra id, quod verum est, loquitur Calvinus: Primùm virginẽ sanctam nihil suum ad tantam attulisse gratiã; Contrarium enim dicit Helizabet: *Beata, quæ credidisti.* sed & ipsa: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Secundò, illud falsum est, nos gratiam Dei ab illa petere. Quibus enim Ecclesiæ precibus id demonstrare potest? Tertiò dicit, præposterũ esse, ab aliquo petere, quod aliunde nobiscũ habet. Hac igitur ratione præposterè Paulus, se suosq; labores ecclesiis cõmendaret: hac ratione frustra fieret pro Petro in carcere constituto oratio ab ecclesia: hac ratione tota communio sanctorum tam cælestis, quàm ecclesiasticæ Hierarchiæ præpostera esset, mutuæque purgationes, illustrationes, perfectiones beatarum mentium: hac ratione tota extingueretur charitas, quia præposterum est ab alio petere, quod aliunde nobiscum habet. Nec discipulus igitur aliquid à magistro petet, nec mendicus ab eo qui aliquid

K

habet.

habet. *Nimis verò crassa inscitia*, (fundit sapientia verba Calvinus). *Papistæ salutationem hanc, quasi magico exorcismo, in preculam verterunt.* Bis hoc loco sciens hallucinatur Calvinus: primò, quia non soli Papistæ, sed vniuersus tam oriens, quam occidens orbis, Græci, Armeni, Æthyopes, imò omnes, præter Iudæos, id faciunt: deinde, quòd ea tanquam precula, ac non potius vt salutatione atq; gratulatione vtamur, indeq; salutationem Angelicam communiter appellamus: longè enim plura argumenta laudis, quàm orationis, teste magno Caballa, per eam virginem, eiusq; partum consecuti sumus, plura accepimus, quàm amplius impetrare possumus. *Atque eo prorupit vesania, vt concionatoribus fas non sit, inquit ille, spiritus gratiam pro suggestu petere, nisi per suum Aue Maria.* Hoc omninò falsum est, non licere alio modo concionatoribus sermones suos ordiri: more tamen receptum est, vt hoc idem principium doctrinæ suæ conuenientissimè nostri faciant, quod totius Euangelij initium fuit; vt ad quam salutationem, verbum æternum summi patris in vtero virginis incarnatum est, ad eandem in mentibus fidelium, verbum prædicationis concipiatur. Deinde addit: *Atqui præterquã, quod sola gratulatio hîc habetur, temerè sibi alienum officium usurpant, quod Deus non nisi Angelo iniunxit.*

In. expositi-  
one liturgiæ  
cap. 52.

Teme-

Temerè igitur fecit Elizabeth, dum in eadem verba prorupit: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* temerè ipsa virgo prædixit: *Ecce beatam me dicent omnes generationes.* Ergo ne Daudidis quidem, aliorumque prophetarum erit v-tendum verbis, quibus ipse Christus plerunque v-titur, ne nobis temerè alienum officium assumamus. Quòd si hæc ita sunt, vt dicit; probet ergo ad solos Angelos pertinere illud dictum: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* ita vt nullus Euangelij doctor, etiam in Christi natalicio die, verba eadem pro concione sibi fumere, & iis populum loco Angeli excitare possit. Probet canticum Angelorum: *Gloria in excelsis Deo.* & quod apud Isaiam extat: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* ita cælestium spirituum esse proprium; vt nobis & ecclesiæ non liceat, nec deceat eadem verba vsurpare. Probet demùm, quod Raphaël Thobiæ dixit: *Gaudium tibi sit semper. Pax tibi.* id à nobis ad loquendi consuetudinem nullo modo transferri posse: quemadmodum hoc loco asserit Gabrieli duntaxat has voces: *Ave gratia plena,* seruari & relinqui oportere. Concludit demùm totã causam duplici errore: *Bis stulta,* inquit, *emulatio, quod absentẽ salutant.* Bis stulta Caluini reprehensio. Nam ipse Calvinus ab eo qui abest docetur, Luca, inquam, quem interpreta-

Serm. 11. de  
virginis as-  
sumptione.

tur. Quos item vnquam Paulus salutauit nisi absentes? per literas dicet: Et nos mediante Deo, qui sanctis suis reuelat omnia; & Angelis eius, qui orationes nostras deportant, inseruientibus, virginem salutamus. Tabellarioné tu plus Caluine credis tua munera deportanti; an angelo preces pœnitenti-  
asque nostras deferenti? Sed hæc est vestra vefania. Absenté tu putas: at non ita censuit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, cuius illa sunt verba: *Spiritus tuus, ô Maria, viuit in æternum, & caro tua in sepulchro corruptionem non sustinuit. Omnia obseruas ac contueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit. Quamuis autem oculi nostri, impediti detineantur, ne te videre queant: tu tamen sanctissima virgo dignis te ipsam patefacis, ac tacite manifestando insnuas; caro enim tua, spiritus tui virtutem & efficacitatem nihil quicquam remouetur. Imitatione dices virginem esse colendam potius, quàm salutatione. Illud quidem oportet facere, vt verbis Saluatoris respondeã: sed hoc non prætermittere iuxta illas conceptas Ecclesiæ Dei formulas: *Ut quos veneramur obsequio, eorû piium iugiter experiamur auxilium: vt quorum natalicia colimus, per eorû ad te exempla gradiamur: vt quorum gaudemus meritis, accendamus exemplis. Præsta nobis ex eorum imitatione proficere, et oratione fulciri. Per Iesum Christum Dominum nostrum, &c. Bis stultam.**

tam vocat æmulationem homo tumidus. At non idem ante multa secula sensit Sibylla, quæ iisdem penè verbis Angelicis eadem virginem compellat:

*Gesti læta puella: tibi nam gaudia semper*

*Duratura dedit cæli terræq; creator,*

*In te habitaturus, tibi lux æterna manebit.*

Non idē vetustissimi patres. In quibus est D. Atha<sup>De sanctis.</sup>  
nasia Dux Christianæ professionis primarius, qui<sup>Deipara.</sup>  
in hunc modum iisdem verbis, virginem à cunctis;  
non mortalibus tantum, sed à cælitibus etiam salu-  
tari docet: *Ecce iam nunc, & in exordio diei, ut pri-  
mitias laudis tibi hoc encomium Archangelus contexit  
dicens: Ave gratia plena, Dominus tecum, beatam te  
prædicant omnes Angelorū et terrestriū hierarchie, et  
hierarchicas manus attolentes benedicunt tibi, quæ &  
in cælis benediceris, et in terris beata prædicaris: Bene-  
dicta tu inter mulieres, benedictus fructus ventris tui.  
Istiusmodi enim benedictionib; te celebrat prima acies,  
quæ ex thronis Cherubinīs et Seraphinis cōstat, qui aut  
flammei, aut magni regis Dei cognitores appellantur:  
Beata tu in mulieribus, & beatus uterus tuus Dei ge-  
stator, & vberis, quæ ille adhuc infantulus suxit. Secū-  
da verò hierarchia, quæ in se dominationes, virtutes,  
potestatesq; cōplectitur, ad te respectans clamat, utpotè  
quæ hæc didicerit à sublimiori hierarchia, priusq; ini-  
tiata sit: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus ven-**

tertius, qui Deum concepit, & mamillæ quæ Deum  
 educauerunt puerum factum. Iam tertia ex principi-  
 bus, angelis & archangelis acies, quibus permissum  
 & mandatum fuit, à Deo emittente, vt per vnum Ga-  
 brielem archangelum ederet splendidissimum & capa-  
 cissimum hymnum in hæc verba: *Aue gratia plena,*  
*Dominus tecum.* Ab istis deinde nos hierarchie terre-  
 stres, exaltationes Dei in gutture ferentes, siue quod  
 didicimus, siue quod mutuo hæc verba sumpserimus,  
 exaltamus te magna & canora voce dicentes: *Aue gra-*  
*tiosa, Dominus tecum; intercede hera, & domina, &*  
*regina, & mater Dei pro nobis.* Quoniam ex nobis tu  
 oriunda es, & is qui editus est ex te carnigerus, Deus  
 noster est, quem decet gloria, & magnificentia, omnisq;  
 honor & adoratio, & gratiarum actio, cum patre ini-  
 tij experte, & cum sancto bono viuifico spiritu, & nunc  
 & semper, in secula seculorum. Et Athanasius quidem  
 sic. Gregorius verò Nazianzenus in suo Christo  
 patiente hunc in modum:

*Aue parens, & virgo, plena gratia,*  
*Pulcherrima & summa inter omnes virgines:*  
*Chorisq; cunctis celsior cælestibus,*  
*Regina cæli, delitiæ mortalium,*  
*Semper tuere vultu propitio tuos:*  
*Mibi salusq; sis vbique maxima.* D. Ephrem:  
*Aue Dei splendidissimum & luculentissimum vas:*

*auc*

aue domina Maria, gratiæ plena: aue in mulieribus  
 virgo beatissima: aue stella fulgentissima, ex qua Chri-  
 stus prodiit: aue illustrissima lux, mater et virgo: aue,  
 quæ mirificè regem omnium peperisti: aue, per quam  
 sol nobis præclarissimus illuxit: aue domina cunctis su-  
 blimior: aue canticum Cherubin, & hymnus angelo-  
 rum: aue pax, gaudium, & salus mundi: aue generis  
 humani lætitia: aue patrum præconium, & propheta-  
 rum decus: aue martyrum pulchritudo, & corona san-  
 ctorum: aue piorum gloria, & in solitudine degentium  
 hymnus: aue præclarissimum hierarcharum cælesti-  
 um ornamentum: aue hymnographorum omnium ori-  
 tio: aue præstantissimum orbis terræ miraculum: aue  
 terrigenarum omnium delectatio: aue paradysæ delici-  
 arum, & immortalitatis: aue lignum vitæ, gaudium  
 & voluptas: aue vallum fidelium, & mundi salus: a-  
 ue tranquille portus, & à fluctibus agitatorum libera-  
 trix: aue nostra periclitantium auxiliatrix: aue pro-  
 genitoris illius Adam resurrectio: aue iucunda liber-  
 tias: aue omnium parens: aue flos gratiæ & consolati-  
 onis: aue refugium peccatorum & hospitium: aue pro-  
 pitiosum laborantium: aue refugium in Ierosoly-  
 mis: aue throne mei creatoris gloriosissime: aue æu-  
 splendor illustrissime, & micantissime: aue spes omni-  
 um proborū aduersis casibus afflictorum: aue conuer-  
 sorum refugium: aue virorum iuxta mulierumq; regi-  
 na &

*na & tutela: aue mundi mediatrix gloriosissima: aue  
 vniuersi orbis terrarum conciliatrix: aue domina, sce-  
 ptrum fidelibus tuis imperans: aue gloria & lætitia o-  
 mnium sacerdotum: aue virgo solatium solitariorum:  
 aue porta cælorum, ascensus omnium: aue referamen-  
 tum portarū paradysi: aue quæ mærores sedasti, ador-  
 natrix omniū: aue eadem, quæ leniisti oppressorū mole-  
 stiam: aue clavis cælorum, & regni Christi: aue portus  
 optime huius vitæ nautarum: aue animæ meæ spes bo-  
 na & fida: aue Christianorum omnium firma salus:  
 aue lumen præfulgens, quo mundus illustratur: aue  
 mater Christi filij Dei viui: aue nostra genitorum pro-  
 tectio luculenta & gloria: aue, quæ nullo spatio com-  
 prehensum in sinibus comprehendisti: aue, quæ Chri-  
 stum vitæ datorem educaſti, Christum omniū picntissi-  
 mum creatorē, Deum, dulcem Iesum meum. Damasce-  
 nus itē similitur: Quod tibi condignum canticum hæc-  
 cine nostra proferet imbecillitas nisi gaudij primū, quod  
 que nos edocuit sacerdos Gabriël: Aue genitrix virgo,  
 et mater innupta. Et veteres quidē in hunc modū: nec  
 frustra: Ipsa enim virgo, hoc idem ita futurum esse,  
 id est, hac eadem salutatione benedicendam se iri  
 in cunctis generationibus prædixit: *Ecce enim, in-  
 quit, ex hoc beatam me dicēt omnes generationes. Quia  
 fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen  
 eius.* Et Ecclesiasticus: *In multitudine electorū habe-  
 bis**

Luc. 1.

Eccle. 24.

*bia laudem, & inter benedictas benedictionem.* Quod qui nō faciunt, illi facilè se probant non esse de illo grege, de illis generationibus, de illa ecclesia; cui dictum est: *Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum & terram.* Hocq; ipsum non mediocre esse veræ ecclesiæ Dei indicium, alicubi diximus: eam veram ecclesiam esse, vbi mater Dei iuxta eiusdem vaticiniū benedicta prædicatur: vt eam, quæ id obscurat, vel aufert, sathanæ synagogam censeretur. Dum in præsentī vita esset, eam salutationē virgini competiisse, nō autem in gloriam translatae misitabunt aliqui. At nos sic profiteamur, & sic virginē salutamus certo persuasi, quicquid gratiæ in Maria primū laudauit Gabriel; id non solū post conceptionem verbi in matris vtero; sed etiam post virginis in cælos assumptionem, ingentes accepisse profectus, & longè perfectiorem habere sensum; & in illam à quocunq; demū salutetur pulcherrimè quadrare. Quando enim illa sic in terris vnquam plena fuit gratia, sicut hoc tempore, quo post peractum diuinæ dispensationis mysterium, & gratiæ & gloriæ bonis in cælo sempiternis affluit? Quando magis cum illa Dominus, quàm eo loco, vbi sine impedimenti, quæ mortales à vita cælesti remorantur, diuini vultus gloria perfruitur, & cum regnante filio coniunctissimè viuit? Quando autem rectius ac ple-

Canisius de  
verbi Dei  
corruptelis.  
Tom. 2. lib.  
3. cap. 10.

nius inter mulieres benedicta, quàm cum perfecta & exhibita sunt illi, quæ matri suæ filius, & munera & præmia præparauit, donauit, impendit? Iudit quidem vsque ad hanc diem, Ioachim sacerdotis verbis, quibus illi redeunti, & defectum tyranni caput apportanti, gratulatus est, salutatur vniuersa gens Iudaica: *Tu gloria Ierusalem: tu lætitia Israël: tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter; & confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaueris; & post virum tuum alterum nescieris: & ideo manus dñi confortauit te, & eris ideo benedicta in æternum.* Nos matrem Dei summæ Trinitatis salutatione nõ salutabimus? Sed non alia de causa arcet veterator ille suos, ab eo, ne dicant, Benedicta tu in mulieribus; quàm ne cogatur illa, quæ sequuntur, & quod istius causa est, vt ostendimus, fateri: *Et benedictus fructus ventris tui.* Quod quidem planè ita cõsecutum esse videmus. Qui enim paulò antè matrè Dei benedictam compellere erubescabant; isti nũc benedictum fructum ventris eius dicere erubescũt. Quinimò hoc agit, ne summa Trinitas laudetur: ne summi beneficij memoria colatur. Honoratur enim hac salutatione pater æternus, cum grati agnosci- mus; quòd ipse pro summa potentia sua, vt mundum perditum renouaret, foemineum sinum tanti muneris, atque boni capacem, reddiderit. Honoratur:

tur filius Dei, cum immēſæ illius erga nos charitati  
 gratias agimus; quòd in vterum virginis de ſinu pa-  
 tris vltro descenderit; quodque mortalem carnem  
 aſſumptam, vnà cum anima, naturæ ſuæ diuinæ vni-  
 uerit, ac vnitā ſupra omnia exaltauerit. Honoratur  
 & ſpiritus ſanctus, cum eius bonitati acceptum fe-  
 rimus; quod in Maria virgine, tanquam venerando  
 ſacrario ad communem mundi ſalutem, mirabiliter  
 conceptum ac formatum fuit, vt illic ſacroſanctum  
 diuinæ incarnationis myſterium celebraretur; ac  
 initio à Maria factò toti mūdo manifeſtaretur. Non  
 ergo bonus quis, aut cordatus, de eo dubitauit,  
 aut dubitabit vnquam; num hæc talis virgo hac ip-  
 ſa Angelica ſalutatione fit compellanda. *Iure enim,*  
*inquit Heſychius, proculdubio omnis grati animi lin-*  
*gua ſalutat virginē et deiparam, ac pro viribus Gabrie-*  
*lem Angelorum principem imitatur,* qui hac cauſa de  
 cælo descendit, qui ad hoc ipſum miſſus eſt ad vir-  
 ginem, vt eam nouo & inuſitato ornaret & exhi-  
 lararet præconio. Illud potius inquirendum eſt, quis  
 hæc diuina cæleſtaq; ſanctiſſimæ Trinitatis verba  
 uſurpare poſſit: cū ad eam ipſam rem, angelica vita  
 & caſtimonia, virginisque matris quiete opus ſit.  
 Præclare enim inquit Anſelmus: *Super eminentem*  
*omni, quod poſt hominem Deum creatum eſt, excellen-*  
*tiam beatæ matris Dei, quomodocunq; & ſaltem lip-*

pienti oculo cordis contemplari anhelans; & contem-  
 plando, quod mihi inde capere conceditur, ad commu-  
 nem notitiam proferre desiderans: horreo peccatorum,  
 quibus premor, enormitatem; & valdè timeo, ne mihi  
 tanta alta petenti obiiciatur mox hoc sacræ scripturæ  
 dictum: Tollatur impius ne videat gloriã Dei. Emun-  
 demus igitur nosmetipsos: ac tum demùm vitam  
 angelicam induti, vocem cum Angelo identidem  
 efferamus: *Aue Maria gratia plena, Dominus te-  
 cum.* Nec vnquam erubescamus, quod omnis anti-  
 quitas non erubuit, quod ipsa malignantium eccle-  
 sia erubescit: Domino enim benedicente, benedicta  
 erit in perpetuum: *Benedixit Dominus terram su-  
 am, auertit captiuitatem Iacob: benedixit benedicen-  
 tibus eam, maledixit maledicentibus eam.* Quotquot  
 igitur hîc adsumus fideles, cum Gabriele (Fremat:  
 licet ac rumpatur infernus, & angeli eius) acclame-  
 mus virgini: *Aue Maria gratia plena: & millies.*  
*Aue: Dominus tecum: benedicta tu in mu-  
 lieribus, & benedictus fructus  
 ventris tui IESUS.*

Amen.

# NVNTII SALVTIS

Siue de incarnatione,

SERMO TERTIVS.

*Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius,  
& cogitabat qualis esset ista salutatio, & ait  
Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti e-  
nim gratiam apud Deum, ecce concipies in  
utero, & paries filium, & vocabis nomen  
eius Iesus: hic erit magnus, & filius altissimi.  
vocabitur.*

**I**N ortu Samsonis, quem ad infringendam vim  
Philistinorum, rector ille Israël̄is Deus excitatu- Iudic. 3.  
rus erat, natiuitas eius in hunc modum matri celi-  
tus denunciatur: *Sterilis es, & absque liberis; sed  
concupies & paries filium, erit Nazareus Dei ab in-  
fanzia sua, & ex matris utero; & ipse incipiet libera-  
re Israël̄, ex manu Philistinorum.* Umbra hæc fu-  
it huius diuinæ ac cælestis, quam nunc interpreta-  
mur legationis. Sterilis ibi conceptura denuncia-  
tur, quod difficilè; hîc virgo, quod impossibile est.  
Nazareum illa paritura dicitur; hæc filium altissi-  
mi, & sanctum sanctorum: liberatorem vnus gen-  
tis illa; hæc totius mundi saluatorem: temporale

gaudium illa ; hæc æternum , & immortale : vnius populi illa ; hæc gentium omnium. Cuius quidem legationis cùm primam iam partem explicauerimus, Salutationem, inquam, donorumq; oblatione: gaudij, gratiæ, præsentia diuinæ, ac ipsius benedictionis. Nunc reliqua quæ sequuntur videamus.

*Quæ cùm audisset turbata est in sermone eius.* Turbata est ; sed non perturbata. Turbata est : non risit sicut Sara, quæ ideò accusata : non desperauit sicut Zacharias, qui factus ideò mutus : non temerè acquieuit sicut Eua, quæ dum efferretur cecidit. Cuius turbationis modum, iam olim Sibylla concinnè graphicèque descripserat :

*Nuntius : hinc tali affatur sermone puellam.*

*Accipe virgo Deum gremio, intemerata pudico.*

*Sic ait : ast illam cælestis gratia molli*

*Lenuit afflatu, cùm virginitatis amatrix*

*Perpetuæ, magno subito correpta stupore*

*Atque metu, trepida pressit formidine mentem :*

*Ignotis verbis commoto corde tremiscens.*

Turbatur virgo suum paritura parentem, non ob personam Angeli ignotam ; sed ob salutatione eius inusitatam. Non enim Angelum, ( quæ cælestibus Angelorum visionibus assueta erat ) sed verba & salutationem Angeli mirabatur ; cui nunquam simile virgo sapientissima audierat, vtpotè quæ illi soli, vt  
inquit

inquit Origenes, seruabatur. Exquirebat cogitatione, quis, & vnde ingressus, qui tale nuntium portet. *Trepidare virginum est*, inquit Ambrosius, & *ad omnes viri ingressus extimescere*. In vasis enim fistilibus pretiosum ferunt thesaurum. Voluebat animo prudentissima virgo, primorum lapsum parentum, deceptionis Euæ casum: benedictionis nouam formulam mirabatur. Audiebat se beatam dici in mulieribus; quæ in virginibus semper benedici voluit. Audiebat se, quæ nuper serua & ancilla matris Dei esse optabat, illam ipsam esse gratia plenam: Dominum habere præsentem: benedictam in mulieribus. Repetebat præteritam suam humilitatem, & examinabat præsentis salutationis sublimitatem. Quantò enim humilior erat cunctis mortalibus, (ex qua causa sublimior facta est omni re creata) tantò eam magis tam inusitato honore ac inauditis titulis cõmoueri oportebat. Abraam profectò, ipsum patrem omnium credentium, Isaac itè, & Iacob, tali nuntio perturbandos fuisse credo. Moyfes quidem, ad aspectum rubi ardentis, vbi Deus erat, obstupuit: hæc ipsa hic rubus incombustus facta est. Dauid certè ad minora stupefcit: *Quid est*, inquit, *homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum?* Zacharias & senex & sacerdos, ad aspectum & affatum Angeli, non tantum

tum turbatus est, sed timor irruit super eum, inquit diuina scriptura; at nihil horum virgo. Turbatur quidem illa, vt dixi, sed non perturbatur. *Turbatur igitur*, inquit Gregorius, *cum verecundia, quia pauebit cum prudentia*. Vtinam prima mater nostra Eua, tum, cum à serpente insidiosè Dea salutabatur, ac fraudulentis pollicitationibus decipiebatur, sic turbata fuisset; nunquam profectò, in eam calamitatem & nos, & seipsam coniecisset. Vtinam & nos ad ea, quæ speciosa, quæ magnifica, quæ iucunda mundus & Diabolus obiicit, turbaremur, ac cogitaremus, qualis esset ista salutatio. Offert iuueni mundus formæ alicuius excellentem dignitatem, diceret: qualis est ista salutatio? offertur ambitioso, aliquis insignis honor, venit hic & ille, porrigit quærendi honoris conditionem, diceret: qualis ista salutatio? offertur avaro, præsentis spes lucri, diceret similiter: qualis ista salutatio? Vtinam Germania & Polonia, duæ gentes pietate quondam insignes, tum, cum Lutheranismus & Calvinismus exoriebatur, ac supra omnem potestatem efferebatur, ac cum illis cælum, sine omni virtutis studio, promittebatur; cum non ieiunandi, non orandi, non obediendi potestas larga commendabatur, paulò conturbatæ fuissent, ac cogitassent, qualis esset ista salutatio: non fuissent

pro-

profectò nunc vsq. adeò perturbatæ. Scit enim Diabolus se transformare in Angelû lucis : scit fingere : scit multa polliceri. Rectè enim monet Ioannes A. <sup>1. Ioan. 4</sup> postolus, non omni spiritui esse credendum, sed probandum, num sit ex Deo. Probatio autem spirituum hæc est : Angelus lucis terrorem primùm incutit ; vnde pastores viso angelo timuerunt timore magno : & super Zachariam timor irruit : & Daniel ad aspectum angeli concidit, ac exanimatus est. *In eam enim miseriam*, inquit S. Damascenus, *incidimus, quòd etiam bonos angelos formidamus.* Mox tamen idem suauem consolationè adfert, quod nunc fieri videmus. Turbatur virgo primùm, mox confirmatur. at Angelus tenebrarum exhilarauit primò Euam, mox conturbauit & perdidit. Angelus lucis nihil terrenum, nihil prophanum adfert, nihil cum luxu, nihil cum ambitione, nihil cum auaritia coniunctum ; Angelus tenebrarum, nihil spirituale, cæleste nihil : ventri assentatur, carnem commendat, ambitione inflat : *Eritis*, inquit, *tantumquam dij, scientes bona & mala.* pollicetur quæ ipse non habet : *Hæc omnia dabo tibi, si procidens adoraueris me.* Angelus lucis honorem Dei tuetur, veritatem eius astruit, curiositatem omnem excludit : *Spiritus*, inquit, *sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* *Ecce Elizabeth cognata tua.*

*Non erit impossibile apud DEum omne verbum.*  
 At veterator quid? Deum mendacem atque fallacem, ipse mendacissimus & fallacissimus, probare vult: *Nequaquam inquit moriemini.* Angelus lucis, Dei bonitatem, liberalitatem, munificentiam, honorificentissimè celebrat: *Dabit, inquit illi dominus Deus sedem David patris eius, &c.* At Angelus tenebrarum, Deum invidum & malignum esse, ipse maximè invidus, calumniatur: *Scit enim Deus, quòd in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri.* Angelus lucis, vestigia sua post se relinquit, humilitatem, charitatem, obedientiam: *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum;* quod humilitatis & obedientiæ est: Et, *Consurgens abiit in montana,* quod charitatis. Angeli tenebrarum vestigia contraria sunt, fastus, odium, impietas, &, qui hæc sequitur omnia, interitus. Quæ omnia Eux primæ matri nostræ euenisse videmus. Et probatio quidem, ac discretio spirituum paucis explicata, hæc est. Turbatur igitur virgo, quod prudentiæ est; sed à recta ratione non deiicitur: turbatur; sed non excidit; cogitabat enim qualis esset ista salutatio, cui similem nusquam nec legit, nec audiuit vnquam. Cogitare de sapientiæ sensu, consummata sapientia est. Cogitabat ea, quæ legerat: dictis scripta comparabat: Eux lapsus

lapsū in mentem reuocabat : modum responsio-  
nis meditabatur. Cogitabat illud, solanē ego inter  
mulieres benedicta ? sola gratia plena ? tantū me  
mecum Dominus ? solanē ego nouum naturæ mo-  
dum inducam ? solanē res prolapsas restituum ? mi-  
hinē soli tot prophetarum & patriarcharum voces  
seruient ? solanē ego digna mater Dei iudicabor,  
virgo pauper, vili fabro desponsata ? Verē tu es De-  
us, qui facis mirabilia magna solus. Cogitat, tacet,  
morum decore pro sermone vtitur. Tum Angelus :  
*Ne, inquit, timeas Maria, gaudeas potius quā  
timeas, inuenisti enim gratiam apud Deum, tantam,  
quantam nemo ante vnquam alius inuenit : neque  
te, aut tuam istam humilitatem respicias, sed grati-  
am : gratia totum est, quod est, quod tecum geri-  
tur : quibuscunque nominibus atque laudibus ce-  
lebraris, gratia est : inuenisti gratiam quam quæsi-  
uisti : qui enim quærit inuenit. Addit Albertus ma-  
gnus : Inuenisti gratiam, non creasti, vt Deus : non  
semper habuisti, vt filius : non rapuisti, vt angelus :  
non perdidisti, vt Adam : non emisti, vt Simon Ma-  
gus : non abscondisti, vt infidelis doctor. Remouet  
ergo Angelus prius timorem, antequam rem & cau-  
sam totam explicet. Omnes enim illos qui de re-  
bus magnis statuere debent, eniti oportet, vt ab  
omni amoris, cupiditatis, iræ, & odij, metus item*

affectu sint remotissimi. Hæcque illa causa est, senatores, cur publicam salutem mouemus, & promouemus nihil: quod praua cupiditate præpediti in consilium venimus: quod præiudicatas opiniones nobiscum adferimus. Quod si turpè est, adolescentem motu animi perturbari vel abripi; quanto turpius, senem odio, inuidia, metu, cupiditate, priuatæ vindictæ studio obsessum, de illa repub. sententiam dicere; in qua & ipse viuit, & post se dulcia pignora, liberos, inquam, coniugem, nepotesque relicturus est? & in qua, & cum qua, tanquam cõmuni naue in naufragio, aut seruandus, aut submergendus sit, iamq. alios naufragantes videat? Si inter seruos animo cõspici nimis perturbato turpè est; in repub. certè turpissimũ. Liber sit igitur ab omni mētis perturbatione oculus, qui verum cernere debet. Hoc igitur agit Angelus: virginẽ solatur: pellit timorem: indicat gratiam: partum vaticinatur: futuræ prolis nomen exponit: virginem proprio nomine, tanquam domesticam & contubernalem, compellat. *Nec*, inquit, *timeas Maria*: non impostor serpens tibi iterum loquitur: non terrenus nuntius adsum: vitam, non mortem fero: inuenisti gratiam, qualem ante te inuenit nemo. Inuenisti autẽ gratiam, non apud Augustum Cæsarem, neque apud Herodem Regem, sed apud Deum, per quem, & à quo,

& à quo, Augustus, & Herodes ipse regnat. Et de Gedeone quidem dictum fuit, Dominum cum illo fuisse: & Iudith hunc in modum alloquitur Osias princeps populi Israël: *Benedicta tu filia à Domino excelfo, præ omnibus mulieribus super terram.* Qui autem gratia plenus ante Mariam dictus fuerit, non legimus. Hoc igitur quod illius erat proprium, & quod nunc primum exauditur, gratia plenam esse, repetit Angelus: *Inuenisti gratiam apud Deum: tua te humilitas, ô præclara virgo, terret, at gratia subleuet; ne ué putes rem meriti tantum esse, quantum gratiæ.* Inuenisti gratiam, non tamen sine merito.

Quod ita esse, præclare docet Iustinus martyr:

*Quia non quamlibet è vulgo fæminam Deus delegit, quæ genitrix Christi fieret, sed quæ mulieres omnes virtute anteciret: non abs re eiusmodi virtutis nomine matrè suam beatam de prædicari voluit, per quam virtutem honore eo digna habita est, ut virgo mater fieret.* Et D. Anselmus: *Nempè decens erat, ut caputitate, qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret; cui Deus pater vnicum filium, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat; ut naturaliter esset vnus, idemq; communis Dei patris & virginis filius, & quam ipse filius substantialiter facere sibi matrem eligebat, & de qua spiritus sanctus volebat, & operaturus erat ut con-*

In lib. quæst. ad responsionem quæst. 136

De conceptione B. virginis cap. 18.

In parte 3.  
quæsti. 2.  
ar. 11.

*ciperetur & nasceretur ille, de quo procedebat. Et D. Thomas, Beatam virginem dicit meruisse portare Dominum omnium: non quia meruit ipsum incarnari; sed quia meruit ex gratia sibi data, illum puritatis & sanctitatis gradum, ut congruè posset esse mater dei. Inuenisti gratiam, quam & Eua & omne mortale genus perdiderat. Inuenisti autem eam, quam non Sara, quamuis Abrahæ vxor, Isaaci mater: non Rachel, quamuis tot patriarcharum parens: non Betfabee, quamuis & marito & filio rege superba: non Ester, quamuis Assueri summi Monarchæ coniunx: non Iudith, quamuis benedicta præ omnibus sui seculi mulieribus, inuenit. Inuenisti gratiã, qualè ab æterno inuenit nemo. Causa igitur nulla est, cur non læteris potius, & animo exultes, quàm timere aut pauere debeas: exaltaberis supra cedros Libani, hoc est, supra etiam summos ordines nostros. Paueat prima Eua; iubilet secunda. Eris & pauper, & diues simul, quod nulli ante te contingit. Depulso metu, animoque virginis confirmato, id cuius causa missus fuerat, & quod summam tantæ legationis continebat, exponit: concepturam scilicet & parituram filium: ac quis iste, & qualis, ex ea nasciturus sit filius, explicat. Quomodo similiter vtrunque hoc matri Samsonis prædictum fuisse diximus. Zachariæ item: *Ne timeas Zacharia,**

ria, exaudita est deprecatio tua: uxor tua pariet tibi  
 filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit ma-  
 gnus coram domino: sicerum & vinum non bibit. Nec  
 tamen suis verbis, sed ipsius Dei, per os Isaia prolata-  
 tis, ac virgini bene cognitis (ne res noua ac ex tem-  
 pore conficta, sed potius à multis seculis promissa,  
 præordinata, prædicata, totq; votis expetita esse vi-  
 deatur) summam totius causæ explicat: *Ecce*, in-  
 quit, *concipies in utero, & paries filium*. Demonstran-  
 tis, vel potius mirantis particula utitur, in re nun-  
 quam antea audita. Deceuit pater cælestis nouo  
 modo rursus sibi ex te filium gignere, in tuoque v-  
 tero tanquam officina cælesti sacri foetus opificium  
 peragere. Paries filium à seculo electum: ab altis-  
 simo præcognitum, ac sibi præparatum: à patribus  
 præfiguratum: à prophetis promissum: nunc tibi,  
 inquit, reuelo mysterium, quale nulla ante secula  
 audierunt; imò verò, quale ne ipsa quidem lex  
 natura nouit, virginitatem simul cum partu, nu-  
 ptias cum integritate; vt non diffidas infantem  
 esse Deum. Quem mente & animo iam dudum con-  
 ceptum geris, & qui semper tecum est; eum nunc  
 nouo & nunquam vsitato modo in utero concipies:  
 neq; erit vlla, aut naturæ, aut communis cur-  
 sus pariendi, aut potestatum tenebrarum vis tanta,  
 quæ eum partum impedire ac perturbare possit. Et  
 quem-

quemadmodum integro pudore & castimonia concipies; ita eodem modo sine dolore, sine grauedine, cum summa etiam spiritali voluptate paries. Virgo ante partum, & virgo post partum: & prior (si ita dicere licet) post partum, quàm ante partum. splendor inaccessibilis visceribus tuis sese infundet. Paries autem, non tantùm sine opera viri, sed etiam clauso signaculo vteri tui; vt sis virgo à viro, & virgo à partu. qua integritate concipies, eadem paries. Illi quidem aperta erunt omnia, non tibi, cui cæli aperti sunt ipsi. Ita enim transibit per vias clausas, ac si essent apertæ, vt post, sigillis nõ referatis, monumentũ superabit: ianuis clausis coenaculũ ingredietur: cælis cõclusis in dextera patris confidebit: viæ tuæ regi aperientur; tibi autẽ clausę iugiter manebunt. Paries autem filiũ, Dei imprimis, deinde tuum, vt sit idem filius hominis, qui est filius Dei; vt hi qui erant filij hominis, efficiantur filij Dei: *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Idemque erit partus vteri tui, qui & cordis est paterni, iuxta illud: *Eruit cor meum verbum bonum.* Ideò Dominus erit tecum, plus quàm tecum: Dominus tecum; sed non sicut tecum: tecum vtique, tecum, non tantùm sicut creator cum creatura, sed etiam sicut partus cum paritura: propter quem benedicta eris ante par-

ante partum, benedicta in partu, benedicta post ipsum partum; totaque maledictio Eux, in tuam mutabitur benedictionem. Eua audiuit, Cum dolore paries, multiplicabuntur æumnæ tuæ: Tu, aue & gaude, paries cum gaudio tuo, omniumque gentium salute. Ideò magnum & summum miraculum efficiens ipsa: Stupendum enim est miraculum in cælis, mulier amicta sole: stupendum miraculum est in cælis, mulier gestans lucem in vlnis: stupendum miraculum in cælis, alter thronus cherubicus: stupendum miraculum in cælis, mulieris filius, qui & ipsius, & seculorum est pater: stupendum miraculum in cælis, thalamus virginis habes filium Dei, Deum sponsum Christum. *Et vocabis*, inquit, *nomen eius Iesum; hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.* Et Abraam quidem iubetur, imponere nomen filio suo Isaac: eodem modo Zacharias pater, *Vocabis*, inquit, *nomen eius Ioannes.* Nunc vice versa, misso patre Iosepho, totum negotium committitur Mariæ: non aliam ob causam, nisi quòd illi quidem veri parentes filiorum suorum fuerunt; Ioseph non parens, sed custos & minister tantum, ut hac ratione honoretur virgo, ac, ut vera mater, ipsa suo imponat nomen vero filio. Confirmant hoc ipsi Hebræi, qui locum Isaia legunt ita: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit ipsa nomen eius Emmanuel: eiusque rei eam*

adferunt rationē, vel quòd Mefias nō fit habiturus  
 in terra patrem, qui ei nomen imponeret; vel quòd  
 fola mater certò fcire debebat Mefiā Emmanuelē  
 futurum, quod Deum & hominē designat. Quod &  
 D. Lucas confirmat; *Maria inquit conseruabat om-  
 nia verba hæc, conferens in corde suo.* Quamuis & de  
 Ioseph hoc ipsum apud Matthæum dictum esse le-  
 gimus, non tamen primò & principaliter, sed vt  
 puto partim fidei eius confirmandæ, partim ipsius  
 nominis interpretandi causa, quod adhuc interpre-  
 tatum non erat. Cæterū hoc loco illud nobis per-  
 quirendum est, quæ causa fuerit, quòd cū ab Isa-  
 ia aliud nomen Mefiæ impositum fuisset, Emma-  
 nuel nempè, quod nobiscum Deus significat: nunc  
 aliud loco illius, Iesus nempè, quod saluatorem de-  
 signat, imponatur: cū præfertim verbis Isaïæ, ita,  
 vt diximus, Angelus vtatur. Abutebantur hoc lo-  
 co contra Christum Dominum veteres Iudæi atque  
 gentiles, tanquam verus Mefias non esset, quòd  
 scilicet non eo fuerit nomine appellatus, quod sibi  
 per prophetas diuinitus impositum erat. Quibus  
 in hunc modum, ex IVstino Martyre respon-  
 dent docti, hæc scilicet eadem virtute nomina esse,  
 ac nomine Iesu, nomen Emmanuelis contineri; &  
 nomine Emmanuelis, nomen Iesu. Nam cū Iesus  
 saluatorem designat, Emmanuel autem vt *Euange-  
 lista*

lista interpretatur, nobiscum Deus significet: profectò neq; verus omnium saluator esse poterat, nisi is, qui Deus & homo sit; & is, qui esset Deus & homo verus, debebat esse saluator. Verba Iustini hæc sunt: *Si in euangelicis narrationibus cõtinetur euentus diuinarũ de Christo prædictionum: nobisq; tradidit beatus Matthæus cum esse quem diuina prædictione statutũ fuerit vocatum iri nomine Emmanuelis; nonne vocatur nomine Emmanuelis? Non intermisit autem sancta Dei ecclesia, \* ex doctrina sancti euangelij, Emmanuelẽ nominare Dominũ. Habemus autem in nomine Christi, omnia alia Christi nomina comprehensa, etiamsi non omnibus semper vtamur. Nec enim quia vocatur Emmanuel est; sed quia est, vocatur. Non dissimile quid Tertulianus, in libro contra Iudæos adfert: Porro, inquit, iste qui venit, neque sub eiusmodi nomine est dictus, neq; re bellica functus. At nos è contrario admonendos eos existimauimus, vti coherentia quoque huius capituli recognoscant: subiuncta est enim & interpretatio Emmanuel, Nobiscum Deus, vti non solum sonum nominis expectes, sed & sensum. Sonus enim hebraicus, quod est Emmanuel, sua gentis est. Sensus autem eius, quod est Deus nobiscum, ex interpretatione, communis est. Quære ergò an ista vox, nobiscum Deus, quod est Emmanuel, exinde quo inluxit Christus, agitetur in Christo; & puto*

Quæstione  
135. ad ortho  
doxos.

*ex toto non negabis. Nam qui ex Iudaismo credunt Christo, ex quo in eum credunt, Emmanuel cum uolent dicere nobiscum Deum esse significant. Atque ita constat iam uenisse illum qui predicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel uenit, id est nobiscum Deus. Idem lib. 3. contra Marcionem, iisdem ferè verbis repetit: Hebræi autem nomen Emmanuel, nomen naturæ esse dicunt, utriusq; naturæ unionē, quæ in utero virginis fieri debebat, designans: Iesus uerò nomen impositionis, quod saluator, uel salus siue saluatio interpretatur. Et preclare quidem hæc isti, nobis tamen nescio quo pacto ea causa, quam refert Clemens Alexan. in Pædagogo suo, magis arridet. Messiam, propter eius excellentiam ac multiplicem functionem, pluribus nominibus uocari debuisse: quorum magnam partem recenset Isaias: *Vocabitur, inquit, Deus fortis, princeps pacis, &c.* Quæ omnia nomina eius, cum longè antè, quam nasceretur, ut suis coloribus depictus melius cognosceretur, debebant prædicta fuisse: unum solum tamen par fuit tale nomen relinqui, quod à nullo antea, præter ipsum solum unum & uerum Deum usurpatum illique impositum esset, iuxta illud Isaiæ: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Cum igitur nomen Emmanuelis iam olim per Isaiam prædictum fuisset, nouo quodam nomine, & à nul-*

à nullo vnquam in Messia vsurpato, quod per os Dei prolatum, & cœlitus per Angelum allatum fuisset, vocandus erat. Cuius imponendi priuilegium ipsi soli Deo patri ac sanctissimæ eius matri relinqueretur. Tale autem est nomen Iesus, nomen magnum, nomen mirificum, nomen nouum, nomen supra omne nomen, quod sapientissimus Salomon miratur: *Quod est, inquit, nomen eius, & nomen filij eius?* Isaias similiter: *Vocabitur tibi nomen nouum.* In cœlum fert Paulus: *Dedit ei Deus nomen, quod est super omne nomen.* Qua autem ratione & modo sit hoc tantum & tale nomen supra omne nomen, paucis videamus. Nominis cuiusque dignitatem & magnitudinem ex his sex capitibus colligit Plato: ab eo scilicet qui imponit nomen, & cui imponitur, significatione ea ex qua imponitur, ab ipsius nominis pulchritudine & venustate, virtute, efficientia, & dignitate. Ex omnibus capitibus his, nomen hoc, supra omne nomen est. Et primùm ab authore, inquam, qui illud imposuit: quem Deum ipsum esse, docet Isaias: Et vocabitur illi nomen, quod os Domini locutum est. Et Paulus similiter: *Dedit illi Deus nomen.* &c. Quod si illi magni, quorum nomen tantum Deus cognoscit, aut quos ex nomine vocat, vt, inquit, scriptura; quanto maior iste, cui ipse Deus nomen imponit? Magnum

igitur nomen hoc est ex parte imponentis. Sed & magnum ex parte eius, cui impositum est; neque enim aut soli homini impositum est istud nomen, aut soli Deo, sed verò Emmanueli, Deo & homini simul: quãuis in primis eius diuinitati conueniat, deinde per Deum in hominem defluat, iuxta illud:

Isaïæ 43. *Ego sum Dominus & non est absque me saluator.* Et, *Ecce Deus noster, Deus ipse veniet & saluabit nos.* Cum igitur ipse Christus, cui hoc impositum est nomen, sit supra omnia; & nomen eius supra omne nomen sit oportet. Sed & significatio nominis magnū & excellens quiddam designat: Iesus enim saluatorem Hebræis significat. Quamuis autem nomen hoc salutem repræsentet; tamen, vt docet Epiphanius, eam maximè, quæ per curationem vitæque restorationem fit. Vt igitur vita & salus superat omnia bona; ita & nomen, eam salutem & curationem ferens, inter omnia nomina principatum teneat oportet. Hanc autem & non aliam significationem eius nominis esse, contra omnes Hebræorum calumnias docuit Angelus: *Ipse enim, inquit, saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quemadmodum igitur salutis & redemptionis opus, vincit ac excelsit omnia Dei opera; ita & hoc nomen superat omnia Christi nomina, Cõmendatur item nomen hoc, à suauitate & venustate: *Oleum, inquit sponsa, effusum*

Isaïæ 43.  
Isaïæ 35.

Matth. 1.

Cantic. 1.

Salutis.

*fusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te:*  
dulce nomen, suaue nomen, iucundum nomen, no-  
men salutis. Sed multo maiorem habet comendati-  
onem ab efficacia. Hoc enim nomine nullum no-  
men est potentius, nullum magis efficax: in hoc no-  
mine omnes animi & corporis morbi curantur: in Acto. 3.  
hoc nomine dixit Petrus claudio: *In nomine Iesu*  
*Christi nazareni surge & ambula,* & surrexit: in hoc  
nomine omnes principatus & potestates aduersæ  
superantur: in hoc nomine iusti efficitur: in hoc Prouer. 18.  
baptizamur: in hoc perficimur. *Turris fortissima no-*  
*men Domini,* inquit Salomon: In hoc nomine om- Ioani. 16.  
nia à Deo impetrantur: *Quicquid petieris,* (inquit  
Christus) *Patrem, in nomine meo, dabit vobis.* In hoc  
eodem peccata, vniuersæq. sordes nostræ abluun- 1. Cor. 6.  
tur: *Abluti estis,* inquit Paulus, *sanctificati estis, iusti-*  
*ficati estis, in nomine Dñi nostri Iesu Christi,* & quod  
caput est, in hoc solo nomine saluamur omnes: Acto. 4.  
*Non est aliud nomen sub sole datum hominibus,* inquit Pe-  
trus, *in quo oporteat nos saluos fieri.* Magna certè ef-  
ficacia est huius nominis, magna vis. Ad hoc igitur  
nomen in omnibus, tam aduersis, quàm secundis  
rebus nostris confugiamus, & non confundemur.  
Et quemadmodum efficacia huius nominis est ma-  
xima, ita & dignitas summa, quam explicat Paulus: Philip. 2.  
*Propter quod, inquit, exaltauit eum Deus, & dona-*

uit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine IESU omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & inferorum. Hoc nomen Prophetæ & Patriarchæ à longè salutarunt: huius nominis causa Apostoli sanctique Martyres sanguinem profuderunt, & ibant gaudentes à conspectu concilii quòd digni haberentur pro nomine Iesu contumeliam pati. In hoc nomine virgines & iuuenes, omnes ætus humanos, omnesq. stimulos carnis superauerunt. Hoc nomen sancti confessores Doctoresque prædicauerunt. Det item nobis Dominus pro nomine isto pati aliquid ac perferre. Verè igitur nouum nomen: verè nomen supra omne nomen. Et multū quidem Cabalistę laborârunt, in nouitate nominis istius austruenda, distinguentes illud ab illis nominibus, quibus antè alii sunt insigniti, vtpotè Iesus naue, Iesus Syrach, Iesus Iosedech, & si qui sunt alij: quorum primus vir fortissimus populum Dei in terram promissionis induxit: alter vir sapientissimus suis temporibus sapientiam reuocauit: tertius sacerdos sanctissimus templum Domini restaurauit. mihi tamen simplicissimus sensus ille Augustini videtur, Non sonum literarum ac syllabarum; sed quod ipse sonus significat, & quod eo sono rectè ac veraciter intelligitur, hîc accipiendum esse. Itaque multos quidem hoc nomine alios vocatos fuisse; omnes tamen istos

istos figuram potius, & syllabas, quàm rem & sensum, nominis huius, tenuisse: acceperunt illi salutem; non dederunt: prædixerunt venturam; non præstiterunt præsentem. Hoc autem nomen non in syllabis, sed in sensu positum esse, docet Paulus, cum dicit: *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto.* quod certe non de syllabis, quas & Psitacus pronunciare potest, sed de sensu ac re ipsa est intelligendum. Nomen item nouum, ea ratione, appellatum puto, quod ut dixi, à nullo unquam antea hoc nomine sit Messias appellatus, nisi Isaia 62. ab ipso primum Deo, iuxta Isaiam: *Vocabitur, inquit, illi nomen nouum, quod os Domini locutum est.* Verè igitur nouum nomen: verè supra omne nomen. omnia siquidem alia diuina nomina ea, quæ virtutem & operationem aliquam designant, in hoc nomen tanquam in mare quoddam influunt: omnia in hoc perficiuntur: omnia ad illud tanquam rami ad radicem referuntur: *Neque enim aut creari, aut gubernari, aut iustificari, aut doceri profuisset, nisi saluari prodesset,* inquit Augustinus. Nam de ineffabili Dei nomine, nihil est quod hoc loco dicamus: hoc enim essentia diuinæ, non operationis alicuius est, quale hoc est, de quo nunc dicimus, & qualia nomina inter se nunc comparamus. Verum de hoc nomine aliàs fufius. Nuncio conceptio-

nis explicato Angelus, eius qui nasciturus erat adiuncta profert. Ne putes, inquit, virgo, aliquē vulgarem, ac humi repentem hunc futurum esse partum: *Hic enim erit magnus, & filius altissimi vocabitur.* Magnus ex parte diuinitatis suæ, potentia: magnus prouidentia, & rerum omnium regimine: magnus vt homo, in opere, & doctrina, coram Deo & omni populo: In omnem terram exhibit sonus illius: & in fines orbis terræ verba illius. Erit magnus, & faciet tibi magna, qui potens est, & sanctū nomen eius. *Dominus noster Iesus,* inquit Origenes, *quia virtus est Dei, in omnem diffusus est orbem & in presentiarum nobiscum est, iuxta illud quod in Apostolo legitur: Congregatis vobis & spiritu meo, cum virtute Domini nostri Iesu Christi. Virtus Domini saluatoris, & cum his est, qui ab orbe nostro in Britannia diuiduntur: & cum his, qui in Mauritania: & cum vniuersis, qui sub sole in nomine eius crediderunt. Vide ergo magnitudinem saluatoris, quomodo in toto orbe diffusa sit, & certè necdum eius veram magnitudinem exposui. Ascende in cælos, & vide eū, quomodo cælestia repleuerit; apparuit enim angelis: descende cogitatione in abyssos, & videbis eum etiam illuc descendisse; qui enim descendit, ipse est & qui ascendit, vt impleret omnia: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & inferorum.*

In Lucam  
Hom. 6.

Con-

Considera virtutem Domini, quòd impleuerit mundum, id est cœlestia, terrestria, & infernalìa: quomodo & cœlum ipsum penetrauerit & in superna ascenderit. Legimus enim, quòd pertransierit cœlos filius Dei: si hæc videris, pariter intueberis non transitorie dictum; Magnus erit, sed verbum opere completum. Magnus est Dominus noster Iesus, & præsens, & absens: tribuitq; consortium fortitudinis suæ, huic cœtui nostro atq; conuentui. Erit igitur magnus, cuius magnitudinis nulla alia est mensura, nullus alius modus, nullus finis, quàm ipse pater: Ego in patre, & Ioan. 14.  
 pater in me est: & nemo nouit filium, nisi pater, neq; Matth. 11.  
 patrem quis nouit, nisi filius. Si igitur nosti mensuram patris, nosti mensuram filij: si modum patris, & modum filij: si magnitudinem patris, & magnitudinem filij. Quòd si hæc nullo sensu, nullaque ratione humana comprehendi, aut coërceri, ac mensurari possunt; ne filij quidem modum, aut mensuram, aut magnitudinem quæramus. Minor est, inquit Ariana impietas, patre. Quomodo igitur, si minor, pater in eo, aut ipse in patre erit? quomodo finito infinitus continebitur? aut quomodo finitus par infinito erit? aut, quis te tandem in ea immensitate ac magnitudine finium regundorum arbitrum, inter patrem & filium constituit? In hoc condita, inquit Ambrosius, sunt omnia, quæ in cælo & in terra, visibilia

*Et inuisibilia : Et ipse est ante omnia , Et omnia in ipso consistunt. Quomodo non magnus , cuius magnitudinis non est finis ? tam magnus , vt ipse altissimus , quia & ipse altissimus , ne sit alius virginis , alius altissimi filius ; vbi non personarum , sed naturarum denotatur varietas : Bonum est igitur psallere nomini tuo altissime. Idem , inquit isti , de Ioanne alio loco dictum est : Et erit magnus coram Domino , idem de aliis. Idem planè , sed non eodem modo. Magnus Ioannes futurus esse dicitur , sed non vt Dominus , sed coram Domino , hoc est , ob præstantes suas ac diuinas virtutes , ac planè Angelicam vitam , quæ statim explicatur : Vinum & siceram non bibit : Et spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris sue : Et multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum : Et ipse præcedet ante illum , in spiritu & virtute Eliæ : vt conuertat corda patrum in filios ; Et incredulos ad prudentiam iustorum , parare Domino plebem perfectam. Magnus ille , sed vt vox coram verbo : præcursor coram principe : seruus coram Domino : Non erat enim ille lux , sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux verò , quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ille quasi homo magnus , inquit Ambrosius , hic quasi Deus magnus : Magno illo in cælo , maior est , hoc autem nemo. Ioannis magnitudo habet principium & finem :*

Luc. 1.

Ioan. 1.

nem : Dominus Iesus ipse principium & finis. Magnus igitur Ioannes non simpliciter, sed coram Domino. Magnus Samson, sed fortitudine : magnus Absalon, sed pulchritudine : magnus Salomon, sed sapientia. Quis autem magnus simpliciter? *Magnus Dominus, & magna virtus eius, & magnitudinis eius non est numerus. Quis Deus magnus, sicut Deus noster?* Ut rectè ex hoc loco contra Arianos concludamus in hunc modum : Nemo absolute magnus, nisi Deus : sed Iesus Christus absolute est magnus ; Deus magnus, & rex magnus, super omnes deos : *Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur* : verus igitur Deus. Cæterum fortè vltra pertinacia Ariana musitabit : Cur igitur non dicit, est magnus, quod propriè de Deo dicitur ; sed erit magnus? Quia hoc ad mox futuram eius incarnationem refertur hoc sensu : Ille, inquam, qui ab omni æternitate, in patre & est & fuit magnus, hic etiam vbi tuus filius in tempore esse cœperit, non desinet esse magnus: neq; quicquam hæc tua tuæq; naturæ humilitas, de eius magnitudine ac maiestate diminuet aut detrahet; sed potius illius diuinæ & cælestis naturæ maiestas, hanc naturæ tuæ paruitatē ac deiectionem vsque adeò subleuabit, vt hæc ipsa tua natura vilis, quam de tuis sumit sanguinibus, humana, propter hypostaticam cum Deo humanæ natura

turę coniunctionē ita eleuetur; vt idem, qui in omni æternitate magnus est & fuit, propter suam diuinitatem, in tempore etiam magnus iuxta humanitatem, de te sumptam, esse incipiat. Quanquam & tu illa ipsa es ab initio possessa, & ante secula ordinata:

Hæc omnia sumpta sunt ex libro Iudæ Hakados qui Reuelator arcanorū inscribitur, & quem Doctores ob suam auctoritatem, magistrum nostrum sanctū appellare solent.

petra illa, cuius dilectione & amore, lapidisq; ex te excidendi desiderio, mundum conditum esse, ac conformatum, magistri gentis tuæ tradiderunt: planta ipsius Dei manu plantata: prima creaturarum: tu es illa, cuius omnes fideles filij sunt: illa petra prima, cuius amore Deus elegit sibi Israël, elegit eum in possessionem sibi, vt esset illi populus peculiaris ex cunctis populis: illud decus domus Iuda, virga de radice Iesse, in cuius manu suscitaturus est Deus salutem Israëlis maximam: illa petra primaria, ex qua procedit Messias, cuius nomen est æternum, & ponet gratiam gratiæ tibi, iuxta prædictionem Zachariæ: illa ab Isaia prædicta prophetissa, quæ conceptura & paritura es filium; imò domina & magistra prophetarum: tu es illud folium gloriæ altitudinis, ab Ieremia celebratum à principio, locus sanctificationis nostræ. Magna igitur simul & humilis es, & ideò magnum similiter & humilem paries; & magnum, cuius magnitudinis non erit finis. Dabit enim illi Deus nomen, etiam vt homini, etiã vt filio tuo, quod est supra

pra omne nomē: vt in eius nomine flectatur omne  
 genu cælestiū, terrestriū, & infernorū. Erit enim hic  
 lapis, de petra tua abscissus absq; manibus: paruus  
 primū, sed tēporis successu in excelsū montē ita  
 excrescet; vt cooperiat omnem terram, omniaque  
 omnium seculorum imperia conterat ac comminu-  
 at: tuq; non amplius mater hominis, sed mater Dei  
 appellaberis. *Erit igitur magnus, & filius altissimi*  
*vocabitur*: quod primum & summum argumentum  
 regis Messiaē esse debuit, iuxta illud: *Paruulus na-* Isaia 9.  
*tus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est prin-*  
*cipatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius*  
*admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri se-*  
*culi, princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, &*  
*pacis non erit finis: super solium Dauid, & super re-*  
*gnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in*  
*iudicio, à modo & vsque in sempiternum.* Filium au-  
 tem antè secula esse vocatum, probant illa Dauidis  
 verba: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Apud De-  
 um enim, non est cras, neq; hodie. Quoniam igitur  
 Deus pater, semper fuit, ac dictus est pater; inde est  
 & filium semper fuisse, & semper vocatum esse fi-  
 lium, ex quo, & per quem ipsa filiatio ad homines  
 promanet: eatenus enim filij Dei & nos vocamur,  
 quatenus vnigeniti filij membra sumus, & nunc in-  
 trepidè clamamus, Abba pater. Omnem autem im-  
 possi-

rei difficultate remouet, cùm dicit filium altissimi futurum, cui omnia patent, omnia sunt possible. quemadmodum omnem aufert turpitudinẽ, cùm patrem eius Dauidem paulò post denunciat: Sublimis est, inquit, humana natura, sed longè sublimior angelica, diuina maximè sublimis: & ideò, inquit, filius altissimi vocabitur, quod postea clarius exponit: *Quod, inquit, nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius Dei.* Non quidẽ vulgari more, quo iusti purgati à peccatis, ac per gratiã Dei iustificati, per adoptionem dicuntur filij Dei; sed singulari ratione vocabitur filius Dei, ex quo & cuius virtute verè bis natus sit, semel absq; initio, ex æterno æternus; nunc in tẽpore ex matre mortali mortalis, homo ex homine. Sicut autẽ in hoc congressu diuina natura cũ humana conglutinabitur; ita partus vtriusq; parentis naturam referet. Vocabitur tantũ, mussitat in aliquo angulo hæreticus, & non erit. Miras verò diaboli fraudes, miram versutiam: dictum est, *hic erit magnus*: offenditur verbo, *erit*; aliud desiderat; vbi aliud positum est, *vocabitur* nempè, iterum illud, *erit*, repetit. Atqui ad obstruendum os illius impudens, hoc vtrunque positum est, & supra erit, & nunc vocabitur. De Christo enim Domino in vtero matris concipiendo, erit, superius ex ea causa, quam attuli, dictum est: at nunc de filio Dei, qui  
antè

ante secula genitus est, *vocabitur* vsurpat Angelus. Si *erit* dixisset, tum illud impiū olim Ario vsurpatū sophisma veterator inferret, ergo erat tēpus, quando non erat; quod ne faceret, *vocabitur* potius, quàm *erit* dixit Angelus. filius enim Dei cū in omni æternitate esset, & ante omnia secula, per quē facta sunt & secula; vocari tamen, id est, mundo innotescere in tempore debuit, posteaquam in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Tunc demū passim ab omnibus filius Dei appellari cœpit, omnibus conspicuus in omnium oculis miracula edens. Ratiocinabatur ex hoc loco impius Seruetus, non fuisse eum Dei filium, antè quàm carne indutus appareret, quia dictum est ab Angelo, *vocabitur*. Sed huic præclarè respondit iam olim Andreas Ierosolymitanus: *Vocabitur*, inquit, non quòd *verbum existendi principium de carne sortitum sit; erat enim in principio verbum, & Deus erat verbum, & verbum erat apud Deum; & ipse conditor seculorum, patri coæternus, & vniuersalis creator: sed iuxta substantiam sibi met vniens humanam naturam, etiam tum, vt homo, filius Dei vocari cœpit; eamq; ob causam mater eius, mater Dei appellata est.* Vocatus est autem primū à patre ipso, qui in eius baptismo illud inclamauit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Deinde à spiritu san-

Matth. 3.  
Luc. 9.

- Matth. 16. Et o, per os Petri loquente: *Tu es Christus filius Dei*
- Matth. 8. *viui. Vocatus à Diabolo: Iesu fili Dei, ante tempus*  
*venisti huc, torquere nos?* Vocatus & à crucifigen-
- Matth. 27. *tibus eum, toties illud repetentibus: Verè filius Dei*  
*erat iste: vocatur à fidelibus omnibus. Si igitur fili-*  
*us, ergo & hæres; ergo Deus benedictus in secula.*  
 Fremit amplius improbitas Ariana, adoptivus fu-
- Ioan. 1. *it filius. Atqui hoc modo omnes vocamur filij Dei,*  
 & sumus, qui adoptamur in spem æternæ hæredita-
- Rom. 8. *tis: atq; ita nihil magnū, nihil nouū, nihil singulare*  
 de illo protulisset Angelus: *Quotquot enim receperūt*  
*eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* quæ quidem
- s. Ioan. 5. *nostra filiatio, ymbra tantū & imago est veræ illi-*  
 us & naturalis, & coæternæ filiationis: quod sic
- explicauit Paulus: *Nam quos, inquit, præsciuit, &*  
*prædestinavit, conformes fieri imagini filij sui; ut sit*
- ipse primo genitus in multis fratribus.* Et Ioannes: *Ut*  
*simus in vero filio eius, qui est verus Deus & vita æter-*  
*na.* Quæri autem hoc loco idq; à doctis solet: Cur
- filius Dei potius factus sit homo, & non pater, aut
- spiritus sanctus? Cuius rei multæ adferri possunt ra-
- tiones. An quòd, per quem facta sunt, per eum re-
- ficienda erant omnia. Nam & artifex, per quã artis
- formam rem condidit; per eandem, collapsam illã
- restaurare solet. Omnia autem in sapientia facta
- sunt, siue quæ in cælis sunt, siue quæ in terris; om-
- nia.

nia igitur per eandem sanari debebant. An quòd lapsus naturæ nostræ, qui per affectationem scientiæ & sapientiæ accidit: (Eua enim scire mala & bona voluit) per eandem sapientiam erigi debuit. Porrò sapientia patris filius est; per eum igitur recuperari hominem oportuit, iuxta illud: *Scio ego quoniam* Ionæ 2.  
*propter me tempestas hæc grandis super vos.* An quòd non nisi per brachium & virtutem Dei dexteramq; excelsi, quæ filius Dei est, hic tantus casus emendari restaurariq; potuit. An quòd Lucifer in primis & maximè filio Dei inuidit, & aduersatus est: ab eodemq; vinci & superari debuit. An quòd, vt Cur Deus ho  
mo lib. 2. c. 9  
Et de incar-  
natione ver-  
bi cap. 4. putat Anselmus, qui erat incarnandus, oraturus erat pro humano genere; & satis conuenientius suscipit mens humana, filium patri, quàm alium aliis supplicare. quamuis hæc supplicatio non fiat à diuinitate, sed ab humanitate ad diuinitatem. Quam idcirco filius Dei facit; quia homo per vnitatē personæ, filius Dei est. An quòd ambo, Diabolus, scilicet & homo, per rapinam se voluerunt facere similes Deo; cum propria sunt vfi voluntate. Nulla igitur trium personarum, Dei congruentius semetipsam exinaniuit formam serui accipiens ad debellandum Diabolum, & intercedendum pro homine; qui per rapinam similitudinem Dei falsam præsumperant, quàm filius, qui splendor lucis æternæ, & vera

patris imago, nō rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo, verum per veram æqualitatem & similitudinem dixit: Ego & pater vnum sumus. Et, Qui videt me, videt & patrem. Nullus namq; iustius expugnat reum, vel punit, aut illi misericordius parcit, vel pro eo intercedit; quàm cui specialius iniuria fieri probatur: nec aliquid conuenientius opponitur falsitati ad expugnandum, aut apponitur ad saluandum, quàm veritas. In illum enim falsam Dei præsumentes similitudinem specialius primi parentes peccasse videntur, qui vera Dei patris similitudo creditur. An quòd, si quælibet alia persona incarnaretur, essent duo filij in trinitate; filius scilicet Dei, qui & ante incarnationem filius est, & ille qui per incarnationem filius esset virginis: & esset in personis, quæ semper æquales esse debent, in æqualitas secundùm dignitatem natiuitatum. Digniore namq; natiuitatem haberet natus ex Deo, quàm natus ex virgine. An quòd pater in creatione, spiritus sanctus in gubernatione, filius in incarnatione ac redẽptione, innotescere debuit. An propter eas omnes causas, an propter alias, quas ipsum verbum melius nouit. Quod etiã propterea in scripturis sapius germen dici, veteres annotarunt Rabini; quia conuenientius fuit filium, quàm patrem, aut spiritum sanctum, incarnari: non tamen alium Deum à patre.

patre & spiritu sancto : vt hoc ipsum venustissima similitudine illustrat Anselmus : *Si riuus, inquit, per fistulam currat, à fonte vsque ad lacum : nonne solus riuus, quamuis non alius Nilus, quam fons & lacus, infistulatus est, vt ita dicam : Sic solus filius incarnatus est ; licet non alius Deus, quam pater & spiritus sanctus.* Qualis autem hic futurus sit filius, mox ex ipsa hæreditate, regniq; ipsius amplitudine ac maiestate demonstrat; ac cum quantus in se sit docuisset; nunc quantus ab extra futurus erat docet : eum scilicet solum verum Messiam, à prophetis prædictum, & tot seculis expectatum ac desideratum, futurum; qui neque fraude, neque aliqua externa vi regnum suum sit consecuturus : sed ab ipso Domino Deo illud accepturus, & ideò regnum eius sempiternum futurum. Si igitur pater illi dabit, minor est pater? Nequaquam : hoc enim non aliquam inæqualitatem, sed rationem tantum fontis & originis designat : quomodo & naturam & essentiam, & omnia alia dicitur filius à patre accepisse; solus enim pater à nullo est ; filius à solo patre & est, & omnia sua habet. Quanquam hæc omnia ad futuram conceptionem & generationem eius hoc loco referantur. Dicitur autem regnum Messiae, sedes Dauid, & ipse Messias nomine Dauidis, vt apud Ieremiam : *Seruient Domino Deo suo & Dauid regi suo.* Apud Ezechie-

De incarnatione verbi  
cap. 7.

Ierem. 30.

Ezechiel 24. Iem item : *Dauid seruus meus regnabit princeps super illos.* Apud Oseam : *Requirent Dominum & Dauid regem suum.* Et apud Amos : *Suscitabo tabernaculum Dauid.* multis de causis: vel quòd regi Dauidi præcipuè antè alios promissum fuerit: *De fructu ventris tui, ponam super sedem tuam.* vel quòd ex eius stirpe & progenie sit ortum : *Orietur virga de radice Iesse, & flos de illa ascendet.* vel quòd in ipsius Dauidis regno fuerit inprimis figuratum. Quemadmodum enim Dauid regno suo nulla vi, nullo humano consilio, nullis mortalium opibus ac præsidiiis potitus est; sed quasi de manu Dei in manum illud gubernandum accepit: sic Christi regnū nullis humanis consiliis, nulla ope externa, nulla vi aut potentia stetit; sed sola sempiterna Dei voluntate & ordinatione, fundatum est. Et quemadmodum rex Dauid, etsi quidem in regem vnctus erat, non tamen statim regno potitus est, illudque adiit; sed prius cum Goliath congressus est: prius multis aduersis & calamitatibus iactatus: multa vndique, tam à domesticis, illisque quos beneficiis aliquando affecerat, quàm ab alienis perpeffus. Ob quam suam perseuerantiam ac patientiam, victor demùm gloriosus potentissimusque rex factus; ac in solio regni summa pace & quiete, primùm super domum Iuda, deinde supra vniuersum Israël, ne quicquam inimicis

eis eius obsistentibus , ac nihil non contra illum tū  
molientibus , confedit. Ita Christus Dominus ,  
primūm quidem in suo baptisate à spiritu sancto  
vnctus est ; non statim tamen in suo confedit solio :  
sed priùs multos & varios labores exhaustit , ac ex-  
antlauit : omneque genus calumniarum ac tribula-  
tionum pertulit : in acerbam crucem ad extremum  
actus ; demūm sempiterni patris voluntate à morte  
tertia die excitatus, illam vocem audiuit : *Sede à de-*  
*xtris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum*  
*tuorum.* Et quemadmodum Dauid rex , non simul  
toti regno imperauit ; sed primūm super tribum Iu-  
da solam constitutus , deinde multo post tempore  
vniuerso regno Israëlitico potitus est. Sic rex Mesi-  
as, non simul itidem toto regno suo auctus est , sed  
bis similiter quodammodo in sede Dauid confedit :  
primò quidem , tunc cū ascendens super vniuer-  
sos cælos, in dextera confedit patris, vnde factus est  
caput super vniuersam ecclesiam ; dataque sunt illi  
gentes in hæreditatem , & in possessionem termini  
terræ : secundò autem , in extremo iudicio firmam  
ac fixam accipiet sedem , suiq; imperij potestatem ;  
vbi subiectis inimicis sub pedibus suis regnabit in  
domo Iacob in æternum : *Dominabitur cum sole &*  
*ante lunam* , & luna in cælo testis erit fidelis : *& re-*  
*gni eius non erit finis* , vt inquit Gabriël. Minor erat  
inter:

inter fratres suos Daud , pecus pascebat , vilis & abiectus: sic & Christus Dominus formam serui gerens, fabri filius, vel à fratribus ipsis spretus: *Nam et fratres eius*, inquit scriptura, *nō credebant in eū*. veluti vorax & vini potor, dæmoniūq; habens, reputatus fuit. Dum proderat Daud , & quibus proderat , ab illis vexabatur: sic alter Daud ab iis, inter quos miracula gessit, toties calumniā passus , toties lapidibus petitus est. Cedendo malis vicit Daud regnoq; potitus est: mortem obeundo Christus dñs in throno suo cōsedit. *Et regnabit in domo Iacob*, inquit Angelus: domo, inquit, peregrinante, seruiente, fugiente. Regnabit autem miseros & afflictos subleuando: malos extirpando: bonos exaltando: omnibus imperando: hostes subiugando: iura promulgando. Regnabit per gratiam, & gloriam: regnabit per charitatem: regnabit per hypostaticam vnionem. Huic enim domui salus peculiariter fuit promissa: huius Christus, teste Paulo, minister fuit; in hanc aliæ gentes & populi noua adoptione insertæ sunt. Inde orbis totus leges & iura petere debuit, nisi sua defectione tanto se abdicasset honore. Non tamen qui filij carnis, filij Abraham, filij Iacob; sed qui filij sunt spiritus. Potens est tamen Deus & illos inferere. Noli igitur altum sapere, sed time. Mitissimum fuit regnum Daud , ipseq; patientissimus

rex :

rex: mitissimum & Christi Domini. Auxit cultum  
 diuinum Dauid: erexit Christus Dominus. Chari-  
 tate & patientia excelluit Dauid: superauit omnes  
 Christus Dominus. Vltimò Dauid rex, vniuersum  
 cursum regni sui, non sine cruce multisque calami-  
 tatibus transegit: ita hic ipse rex noster, positus est  
 in signum cui contradicitur: in lapidem offensio-  
 nis: in petram scandali multis de domo Israël: in  
 quem vniuersæ portæ inferorum omnia tela ignita  
 sua direxerunt. Vicit tamen hæc omnia vterque  
 Dauid; & completum est illud de vtroque: *Sedit*  
*rex in domo sua, & Dominus dedit ei requiem vndi-*<sup>2. Reg. 7.</sup>  
*que ab vniuersis inimicis suis.* Senex plenus die-  
 rum, aut potius æternitatis. Et hæc quidem  
 hæctenus. Quæ autem & qualis, & quo  
 loco hæc sedes esse debeat,  
 sequens docebit  
 sermo.

Q

NVN.

NUNTII SALVTIS,  
 Siue de incarnatione,  
 SERMO QVARTVS.

*Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis.*

Isaia 42.

**M**ulta equidem & præclara sunt apud prophetas regis Messiaë, cuius nunc gloriosam incarnationem explicamus, insignia atq; ornamenta; inter quæ illud inter cætera nõ obscurum est Isaiaë: *Non, inquit, clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quasiatum non conteret: & linum fumigans non extinguet. Non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium: & legem eius insule expectabunt.* Non tristem, non violentum, non rapacem futurum pollicetur Propheta. Hoc idem nunc Angelus virgini annuntiat. Docet enim, hunc ipsum recens nasciturum, & concipiendum regem, non vi, nec armis, nec vlla seculi potentia aut violentia, regno suo potiturum; sed de manu omnipotentis Dei illud accepturum: *Dabit, inquit, illi Dominus Deus sedem David patris eius*

*eius: & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis.* Quod quàm planè completum fuerit, vel ex illis ipsis, qui ad hoc occupandum regnum missi fuerant, ducibus, piscatoribus, inquam, duodecim Apostolis, videre licet, qui nulla sapientia, nulla eloquentia instructi, nullis mundi præsiidiis muniti, nullis ornamentis commendati, nudi, egentes, angustiati, orbem terrarum pedibus sui regis subiecerunt. Quod autem hoc regnum, & quale sit, & ubi consistat, posteaquam de rege diximus, nunc paucis explicemus. Quod etsi semper maximas difficultates habuit, fuitque inuentu perdifficile; hoc tamen tempore maximè, ubi de hoc regno eiusque regni sede, tantæ & tales contentiones sunt exortæ, est difficillimum, inprimis autem necessarium.

Christus igitur Iesus Saluator noster, cùm sit verus Deus & homo, illud ab æterno, hoc in tempore: habet quædam, quæ sibi ab æterno natura sua sunt, cum patre, & spiritu sancto communia, vtpotè naturam & essentiam, vitam, gloriam, imperium, vim creantem & gubernantem, tenentemque omnia: habet alia, quæ vt homo, in tempore à patre accepit; eaque obedientia, qua patri obediens fuit, vsq; ad mortem, mortem autem crucis, sibi vt homo quaesivit. Talia autem sunt, nominis supra omne nomen:

De ortho. exaltatio, & latriæ cultus. Quod ita explicat Dama-  
 fide 3. cap. 8. scenus: *Non timeo carbonem tangere propter ligno co-  
 pulatum ignem: Adoro Christi Dei mei simul vtramq;  
 naturam propter carni- unitam deitatem.* Et Augusti-  
 Sermo 58. de nus: *Ego dominicam carnem imò perfectam in Chri-  
 verb. Dñi. sto humanitatem ideò adoro, quod à diuinitate suscepta,  
 & deitati vnita est; vt non alium, & alium, sed vnum  
 eundemq; Deum & hominē filium Dei esse confitear.*  
 Vt enim vestis, & trabea regis magni, vnà cum re-  
 ge, vno cultu quodammodo honoratur, quæ sine  
 rege eiusque ratione nullum mereretur honorem:  
 ita, & multò magis, caro Christi, propter eam  
 quam habet arctissimam, id est, hypostaticam, in  
 vna persona cum diuinitate coniunctionem, eodem  
 cultu, quo ipse Deus colitur; quæ eadem à diuinitate  
 seiuncta (quod tamen neque fuit, neque erit  
 vnquam; quod enim semel assumpsit, dimittet nū-  
 quam) amplius eodem cultu non coleretur. Quan-  
 tisper autem cum diuinitate coniuncta, vnam effi-  
 cit Christi personam, ita colitur; vt in nomine eius  
 omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & in-  
 fernorum: nisi fortè quis infectus Iudaica, aut A-  
 riana, vel Sacramentaria labe, id facere recuset, ac  
 contra Deum suum tergum vertat. Sic eodem mo-  
 do hic ipse Christus Dominus, omnem iudiciariam  
 accepit potestatem, vt ipse sit iudex viuorū & mor-  
 tuorum

tuorum, iuxta illud: *Causa tua iudicata est, veluti* Iob 36.  
*impij: causam & iudicium recipies.* Et illud: *Pater* Ioan. 5.  
*non iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit filio,*  
*vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem.*  
 Consecutus est item & illud, vt sit caput super omnē  
 ecclesiam; in quam ille vniuersum motū, sensum, vi-  
 tam, omnem vbertatem gratiæ largissimè confert,  
 atq; illi subministrat. Illud similiter, vt sit rex regū,  
 Dominus dominantium; ac deniq; vt habeat sedem  
 Dauid patris sui, & regnet in domo Iacob in æter-  
 num. Hoc igitur nunc agit Angelus: huic ipsi ab æ-  
 terno excelso præ omnibus regibus terrę secundū  
 suam diuinitatem, pollicetur similiter; etiam iuxta  
 illius humanitatem, daturum Deum sedem Dauid  
 patris eius: & regnaturum eum in domo Iacob, re-  
 gniq; eius finem nullum futurū. De qua sede & do-  
 mo Iacob, quæ & qualis futura esset, magna est &  
 fuit semper controuersia: hæcque sola res Iudæos  
 in transuersum egit, atque in ipso portu, quasi nau-  
 fragium perpeti fecit. Legebant siquidem apud o-  
 mnes ferè prophetas, Messiam regem futurum soli-  
 umque Dauid occupaturum. Nam & apud Isaiam Isaiæ 9.  
 illud legitur: *Paruulus natus est nobis, & filius da-*  
*tus est nobis: super solium Dauid, & super regnum e-*  
*ius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio,*  
*& iustitia, à modo vsque in sempiternum.* Et apud

- Jerem. 30. *Jeremiam : Ecce dies venient, & suscitabo David ger-  
men iustum; & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet*  
 Ezech. 34. *iudicium & iustitiam in terra. Et apud Ezechielem :  
Et David seruus meus princeps in medio eorum, ego  
Dñs locutus sum: & percutiam illis fœdus pacis, pactũ  
sempiternũ erit eis. Et apud Amos: In die illa suscitabo  
tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aper-  
turus murorum eius, & ea quæ corruerunt instaurabo.*  
 Amos 9. *Fuit igitur hic sensus, hæc expectatio omnium, ven-  
turum Messiam, visibilem sedem & thronum Dau-  
dis statim occupaturum; ac inde vniuersas gentes  
regno & imperio suo subiecturum, omnibusq; gen-  
tibus ac linguis imperaturum. Vnde illa hebraicæ  
gentis puerorum acclamatio: Hosanna filio David:  
Matth. 29. *Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israël;*  
 Marci 11. *benedictum, quod venit, regnum patris nostri David:*  
 Luc. 19. *pax in cælo & gloria in excelsis. Peruenerat hæc o-  
pinio ad Apostolos vsque ipsos. Vnde illa frequens  
percontatio: Domine num in tempore hoc restitues  
Asto. 1. *regnum Israël? Vnde illa matris filiorum Zebedæi  
Matth. 20. *prensatio: Dic vt sedeant hi duo filij mei, alter ad de-  
xteram, alter ad sinistram tuam, in regno tuo. Vnde illa  
ambitiosa Apostolorum contentio, quis eorum vide-  
retur esse maior: Omnia enim ad sensibile & tempo-  
rale quoddã regnum Christi referebant. Hæc autẽ  
Luc. 22. *proueniebant inde, quòd & Iudæi & Apostoli igno-  
rabant,*****

rabant, quod & quale regnum ipsius David fuerit, & postea Christi Domini futurum esset: nempè hominibus sensui deditis, nihil aliud, nisi quod sensum moueret, intelligentibus atque desiderantibus. Potissimum verò hæc inde, vnde itidem & nunc omnes errores atque hæreses exoriuntur, promanabāt, quòd partem tantùm quandam scripturæ de eo regno viderent, alias autem negligenter. Quemadmodum autem pulchræ statuæ aut imaginis, non pars vna tantùm est videnda, sed totum corpus diligentius considerandum: sic cuiusque scripti totus scopus, tota videnda est simul analogia, tota rerum series atque connexio. Quod in sacris scripturis maximè elucet, quas qui totas non nouit, nihil nouit; quæ non tam verbis, quàm re & sensu ipso loquuntur. Hinc quidam ea, quæ maximè scripturæ aduersantur, scripturæ consentanea esse putant; & contrà quæ scripturam ipsam spirant, ab ea alienissima esse iudicant. A Davidis igitur regno, quod typus regni Christi fuit, exordiamur: quod neque penitus terrenum & seculare, neque item penitus cæleste aut spiritale; sed partim terrenū & ciuile, partim item spiritale fuit. Hoc vbi totam simul scripturam inspexeris, omnesque partes eius simul contuleris, planè perspicies. Terrenum, ciuile ac politicum, qua parte regnū David fuerit, nihil attinet dicere:

*In ma-*

Pfal. 99.

*In matutino, inquit, interficiebā omnes peccatores terre, vt disperderem de ciuitate dñi omnes operantes iniquitatem.* Spirituale autem fuit, non solū ea parte, quod vmbra & figura quædam esset, vti dictum est, regni Christi; nam vtrunq; ex paruis initiis ortum; vtrunque nec vi, nec dolo partum, sed ab ipsa dextera excelsi porrectum; vtrumq; multis tribulationibus, persecutionibus, molestiis, antecedentibus & consequentibus vexatum est: sed longè magis ex illa ratione, quod cælestis patriæ promissiones acceperit, illique populo præfuerit, qui promissionem & signaculum fidei, circumcisionem, inquam, atq; æternæ patriæ spem habuit, atque multa alia futuræ vitæ pignora acceperit. tum quod totum illud Dauidis regimen, non hoc solū spectabat, vt tantū in præsentī vita felix & incolume regnum suum esset; sed longè magis, vt ad cælestem illam & æternam patriam aspiraret, eoq; perueniret. Cuius regiminis, præstans illud & diuinum commentarium est, Psalterium, inquam, in quo abundè & prolixè cælestis patriæ omnis decor, splendor, dignitas cōtinetur; omnesq; illius consequendæ artes, & modi ita explicantur, vt à nullo neque solidius, neque religiosius, neque venustius explicari possint: ita vt in tertia parte vniuersæ sacre doctrinæ saluator ipse illud reposuerit, vbi inquit, *In lege prophetis &*

Pfal-

*psalmis.* Cuius quidem patriæ seipsum ipse rex ita cupidum esse demonstrat, vt quemadmodum ceruus in summa fiti, ad fontes aquarum incitato cursu fertur; sic ille lachrymas suas sibi fuisse panes die ac nocte, dum recordatur cælestis Sion, magnificè canit. Itaqué illi, qui eius parebant regimini, Dei filij & erant, & vocabantur, æternæ hæreditatis participes aliquando efficiendi: quemadmodum ex aduerso, qui illius doctrinæ ac imperio parere nolabant, illudque aspernabantur, isti filij Belial, hoc est, filij sine iugo, filij gehennæ vocari solent; à vita non solum temporali hac, sed æterna etiam excludendi. Et de Dauidis quidem regno, hæc pauca ex multis. Quemadmodum igitur Dauidis regnum, nõ terrenum tantum & certi temporis, sed spiritale etiam & cæleste, ob eas causas, quas diximus, erat; ita & Christi domini regnum, cuius illud vmbra & typus fuit, non ipsum temporale regnum solum, aut huius seculi, de hocque mundo esse debuit, sed æternum etiam & spiritale. Spiritalis regis est, sacramenta instituere, doctrinam de Deo tradere, & confirmare, ac vbi res postulat abrogare; quasdam humanas leges, vt diuinæ substituuntur, vel auferre penitus, vel interpretari: salutem & iustitiam largiri: cælum donare. Quæ omnia fecit Christus dominus, qui patre vngente spiritus sancti vnctione vn-

ctus fuit, iuxta Irenæum, qui demùm temporali regno post mortem suam in suis successoribus defunctus est, iuxta illud : *Stabiliui thronum eius in sempiternum*. Ea tamen differentia regni illius & Davidici fuit, vt in huius quidem regno, id quod temporale fuit & terrenum, magis appareret, ac quasi emineret, familiamque duceret : illud autem, quod spiritale, pertenuè ac perobscurum esset. In Iesu Christi autem imperio contrà ; illud quod terrenum & seculare est, nec ita statim, nec ita manifestè apparere ; quod autem cæleste & spiritale est, id subito & longè illustrius in eo dominari ac elucere debuit. Quantum autem anima corpori præstat, tantum imperium Christi imperiis omnibus præstare debuit : & idèò spiritu potius quàm carne regi ; eamque ob causam ab eo, quòd primum in hoc regno tenet, & Theophylactus & alij S. patres planè spirituale & cæleste regnum hoc dixerunt : ita tamen, vt hoc aliud visibile, quod in hoc mundo versatur, ac militare, ordinemque suum hierarchicum tueri debet, non excludant. Quod ita esse, vetustissimus doctor Athanasius testatur : *Accipit autem in his verbis thronum Davidis corporaliter, ex ratione prosapie, qua pater illi David fuit. Et regnabit in domo Iacob in æternum : & regni eius non erit finis, etc. Ergo capiens Christus thronum Davidis,*  
*trans-*

De sanctis.  
 Deipara.

*transtulit illum, & dedit sanctis Christianorum regi-  
 bus, ut conuerteret eos ad domum Iacob, qua tradita  
 in opprobrium & direptionem regnabit in Christianis  
 in æternum, & regni eius non erit finis. Non enim po-  
 pulo ulli alij residui sunt prophetæ, secundum visiones  
 Danielis: sed hunc solùm Messiam esse prædicant, &  
 regem agnoscunt, perseverantem usque ad secundum  
 suum ipsius aduentum; quo tempore quum venerit, ma-  
 nebit rex in seculum, & regni eius non erit finis. Si-  
 quidem genitus ex virgine, & consumatus omnibus,  
 quæ ad negotium mortis & crucis pertinebant, post re-  
 surrectionem ad suos aiebat: Data est mihi omnis po-  
 testas in cælo & in terra. Ecce iam inde regnare in-  
 cepit, & prædicatur Christianorum rex: quemadmo-  
 dum in exordio precum suarum, se inuicem adhortan-  
 tes, atque in cœtum conuocantes clamare solent: Ve-  
 nite adoremus, & procidamus coram Christo rege no-  
 stro. Et illud itidem, is qui venturus est in magno suo  
 & illustri aduentu, permanebit regnans in æternum,  
 & regni eius non erit finis. Et regnum quidem Da-  
 uid terrenum & visibile definere, finemq; habere: re-  
 gnum autem eius spirituale perpetuò duraturum  
 fuisse: ad eosque potius qui fidem Iacob, & Dauidis  
 secuti sunt, quam genus carnale pertinere, abundè  
 docent prophetæ. Quod tamen neque Iudæi, neq;  
 Apostoli illis temporibus rectè intellexerunt; tem-*

pus verò ipsum & res postea clariùs edocuit. In  
 Psal. 31. quibus princeps ipse Dauid: *Iurauit, inquit, Domi-  
 nus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fru-  
 ctu ventris tui, ponam super sedem tuam. Si custodie-  
 rint filij tui testamentum meum, & testimonia mea,  
 hæc quæ docebo eos, & filij eorum usque in seculum  
 Psal. 88. sedebunt super sedem tuam. Et in alio psalmo: In æ-  
 ternum illi seruabo misericordiam meam, & testamen-  
 tum meum fidele ipsi: & ponam in seculum seculi semen  
 eius, & thronum eius sicut dies cæli. Si autem dereli-  
 querint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non  
 ambulauerint, si iustitias meas profanauerint, & man-  
 data mea non custodierint, visitabo in virga iniquita-  
 tes eorum, & in verberibus peccata eorum: Misericor-  
 diam autem meam, non dispergam ab eo, neque noce-  
 bo in veritate mea, neque profanabo testamentum me-  
 um, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irri-  
 ta. Semel iuravi in sancto meo, si Dauid mentiar, se-  
 men eius in æternum manebit, & thronus eius sicut  
 sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum  
 & testis in cælo fidelis. Quæ de regno visibili Da-  
 uidis, quod in Roboam nepote eius scissum fuit,  
 nequaquam intelligi possunt. Et hæc quidem  
 ipse Dauid magnificè. At longè distinctius Iere-  
 mias, cuius prophetæ sensus ille est: Iosias iustus,  
 & Deo gratus, quatuor habebat filios, Ioachazum,  
 inquam*

inquam, & Ioachim, Sedechiam, & Selumum; ex quibus Ioachim, cum omni genere vitiorum scelerumque vitam suam contaminasset: populum Dei oppressisset: viduæ aduenæ & pupilli causam non iudicasset: Deum ad iram prouocauit: & non tantum ipse, verum etiam filius eius Ieconias; quem non minus scelerum, quam regni successorem reliquit. Latere hoc noluit seruum suum Ieremiam Dominus, & ea verba in commentarios prophetiæ suæ de ultimo, quantum ad carnem, regni Dauid occasu, referre iussit: *Hæc dicit dominus: Scri-* 22. cap.  
*be virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat ultra in Iuda.* Quo loco vbi virum sterilem scribere iubet; non tam eam sterilitatem, quæ carnis est, quam ipsam imperij & regni ablationem, denuntiat Deus. Nam etsi de Ieconia natus est Salatiel, cæteri que septem filii, & de Salatiel natus est Zorobabel; & per ordinem ventum est ad Christum: tamen vt D. Hieronymus inquit, in diebus Ioachim, id est Ieconia, non successit ei rex filius, sicut ipse patri successerat; sed fuit in captiuitate & Salatiel, & Zorobabel, & vsque ad Christum nullus obtinuit regiam potestatem. Vnde & Iosephus refert de sacerdotali genere, ac tribu Leui fuisse principes,

quibus successerit Herodes Antipatri filius Prose-  
lythus. Quod autem de non auferendo sceptro  
de Iuda scriptum est; id non tam ad domum Dauid  
referendū est, quàm ad tribum totam; quæ semper  
inter alias tribus primas partes obtinuit: à qua &  
gens tota, & regio, vt Eusebius de Euangelica de-  
monstratione docet, Iudæa denominata est. Quæ  
sceptrum illud à spiritu sancto per Iacob domui Iu-  
dæ datum, primū in regibus, deinde in iudicibus  
ordinariis Sanhedrin, hoc est, septuaginta senio-  
rum, qui etiam ablato regno in Gazith causas po-  
puli iudicabant, conseruauit. Penes hoc collegi-  
um septuaginta seniorum, summa pacis ac belli fu-  
it: his authoribus, bella suscipiebantur ac depone-  
bantur: hi de maximis rebus cognoscebant: hi om-  
nes legis ac fidei difficultates decidebant. *Non  
erant iudicantes tribum, tradunt Rabini, vel sce-  
ptrum, neque pseudopphetam, neque sacerdotem  
magnum, nisi domus iudicij septuaginta iudicari: nec  
erant egredientes ad licitum bellum, nisi secundum  
os domus iudicij septuaginta iudicum: nec adde-  
bant ciuitati, nec salariis templi, nisi per os domus  
iudicij septuaginta iudicum: nec conuentus iudi-  
cum inferiorum tribubus poterat ordinari, nisi per  
domum iudicij septuaginta iudicum; quod per ma-  
nuum impositionem fiebat.* Retinebantque hi au-  
thori-

thoritatem suam vsque ad tempora Herodis Ascalonitæ ; qui non modò alienigena, patre Idumæo, matre Araba ; verùm seruus quoq; Machabæorum fuit: ex eoq; consilio plurimos occidit, reliquis autem suam authoritatem ademit. Vnde illa eius ordinis querela : *Nobis non licet occidere quenquam.* Et in libro Sanhedrin Ierosolymitano : *Uæ nobis, quia recessit sceptrum de Iuda, & nondum venit filius Dauid, id est, Messias.* Quod ipsa prophetia pulchrè distinguit : *Non recedet sceptrum de Iuda, & iudex, seu scriba, de fœmore eius, donec veniat Silo.* Quibus verbis planè indicatur : etsi sceptrum, seu regnum, de Iuda ablatum fuerit ; iudicem tamen & scribam auferendum non fuisse, donec veniret Silo, id est, filius virginis Messias, cuius est regnum. Quanquam non in iudicibus tantùm, qui scribæ dicebantur ; sed etiam in principibus continuatio hæc sceptri seu principatus demonstrari possit. Nam & Zorobabel, qui populi in reditu è captiuitate princeps extitit, de tribu Iuda fuit : & alii omnes penes quos vsque ad Machabæos administratio fuit, de tribu Iuda fuerunt, vt ipsi etiam Talmudistæ tradunt. Machabæi quoque, qui postea vsque ad Herodem Ascalonitã Iudæorum principatum obtinuerunt, de tribu Iuda censebantur : quia tribus regia & tribus Iuda com-

mixtæ

Jerem. 23.

Osee 3.

mixtæ erant, vt patet 4. Reg. II. Vnde & ipsi Machabeï secundùm genus maternû ex tribu Iuda procefferunt. Verum nos, vnde digressi fumus, reuertamur. Cùm igitur, ita vt paulò antè diximus, de vltimo occasu regni seminis Ieconix per Ieremiam prædictum fuisset, statim sequenti capite illud sequitur: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo David germen iustum; & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* Et capite 30. *Non dominabuntur eis amplius alieni; sed seruient Domino Deo suo, & David regi suo, quem suscitabo eis.* Et apud Oseam: *Dies multos sedebunt filios Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine thetaphim; & posthæc reuertentur filij Israhel, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum; & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius nouissimo dierum.* Magistri quidem Hebræorum diuinantes, & quasi circa ianuam ambulantes, dixerunt: *Iste rex Messias, si de viuis est, David est nomen eius; si de mortuis, David est nomen eius.* Verùm hæc ita comodissimè explicantur: si illa prima ad temporale Davidis regnû, quod plerunque ob peccata principum de gente in gentem, de familia in familiâ transferri, ac nonnunquam penitus extinguï, ac occumbere solet: hæc verò ad spirituale dominium, æternis duraturum

rum temporibus, referantur. Equidem ipse Ieremias, quale hoc sit regnum, de quo posterius dixit, & quod denuò exoriturum prædixit, in sequentibus exponit: *In diebus, inquit, illis, saluabitur Iuda, & Ierem. 23. Israël habitabit confidenter; & hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster. Et non dicent ultra: Viuit Dominus, qui eduxit Israel de terra Ægypti; sed viuit Dominus, qui eduxit semen Israël de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram illos. Sed & primus Dauid, regni sui perpetuitatem; ac secundi Dauid suscitationem, diuinitus exponit, eumque vt Deum verum celebrat: Dispo-* Psal 88.

*sui testamentum electus meus, iuravi Dauid seruo meo, usque in æternum præparabo semen tuum, & ædificabo in generatione & generationem sedem tuam. Confitebuntur cæli mirabilia tua Deus, etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei? Deus qui glorificatur in concilio sanctorum, magnus & terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt. Domine Deus virtutum, quis similis tibi? quæ ad spirituale regnum referri, nemo est qui non videat. Quod cum cæca Iudæa nec videt, nec distinguit, errat usque adhuc, & alios in errorem inducit. Ideò verum regem Dauidem repudiat, alium Messiam expectat, Antichristi pompam & splendorem præstolatur.*

latur. Illud, inquam, non videt, regnum quidem  
 Dauidis ciuile illud & seculare desitutum fuisse; re-  
 gnum autem eius spirituale sempiternis tempori-  
 bus, in rege Messia mansurum esse: & hoc est, quod  
 nunc pollicetur Angelus: *Dabit, inquit, illi Do-  
 minus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo  
 Iacob in æternum: & regni eius non erit finis.* Dabit,  
 inquit, illi Dominus Deus, sedem Dauid; non illam  
 angustam, & terrenam, non mortalem, & caducam  
 tantum; sed æternam quoque, & cuius finis non  
 fit futurus, quæ in omnes gentes diffundenda foret:  
*Et dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq;  
 ad terminos orbis terrarum.* Hæcque causa est, cur  
 Christus dominus, cum eum turba regem creare  
 voluerat, id omninò refugerit: hæc causa, ob quã  
 apud Pilatum dixerit: *Regnum meum non est ex hoc  
 mundo, etc.* Quod idem confirmat D. Paulus: *Non  
 omnes, inquit, qui ex circumcisione sunt Israël, hi  
 sunt Israëlitæ; neque qui semen sunt Abraham, omnes  
 filij Abraham: id est, Non qui filij carnis, hi filij Dei; sed  
 qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Pro-  
 missionis enim verbum hoc est & c. iis quos vocauit, nõ  
 solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus: sicut in Osee  
 dicit: *Vocabo non plebem meam, plebem meam, &  
 non dilectam, dilectam.* Quemadmodum autem Dau-  
 dis regnum, vti diximus, etsi primò & præcipuè  
 terre-*

Psal. 71.

Rom. 9.

terrenum & seculare fuit; secundariò tamen & ex  
 consequenti, etiam spirituale modo suo, ita uti di-  
 ximus, erat; ita & Iesu Christi regnum, quantum uis  
 illud primò & principaliter cæleste & spirituale fit,  
 idem tamen ipsum & terrenum esse debuit: non  
 quidem in Iudæa tantum, sed in uniuersis præterea  
 gentibus, ac uniuerso orbe, iuxta illud: *Postula à* Psal. 2.  
*me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessio-*  
*nem tuam terminos terræ.* Et sedes quidem Dauid,  
 domusque Iacob, quæ & qualis sit hæctenus dixi-  
 mus: nunc ubi tandem hoc tempore sit, semperque  
 fuerit, & inter quos uersetur; ac quis in ea sede nunc  
 eius loco, posteaquam ad dexteram patris ipse se-  
 dit, confederit, paucis uideamus. Constituerat  
 quidem rector Israël Deus caput regni sui Iudæ-  
 am, ac domum Iacob futuram gentem electam, po-  
 pulum acquisitionis, regale sacerdotium, hæredi-  
 tatem Israël: *Quorum adoptio est filiorum, et gloria, et* Rom. 9.  
*testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa:*  
*quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem.*  
 Nam ut Psaltes diuinus inquit: *Repulit tabernacu-* Psal. 77.  
*lum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit: sed elegit*  
*tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.* Sedes autem  
 ac thronus regni eius Ierosolyma, ciuitas sancta, ci-  
 uitas Dauid, ciuitas iustitiæ, ciuitas decoris per-  
 fecti, gaudium uniuersæ terræ esse debuit: unde

- omnibus gentibus ac populis iura daret: vnde leges, sacra, cæremonias, cunctæ nationes acciperent: quò omnes supplices ac subactæ venirent.
- Jerem. 17. Docet hoc clarè Jeremias: *Si, inquit, audieritis me, ingredientur per portas ciuitatis huius, reges & principes, sedentes super solium Dauid, & ascendentes in curribus & equis, ipsi & principes eorum, viri Iuda & habitatores Ierusalem: & habitabitur ciuitas hæc in sempiternum. Si autem, inquit, non audieritis me, succendam ignem in portis eius, & deuombit domos Ierusalem, & non extinguetur.* Docet hoc & ipse
- Matth. 15. Christus dominus, cum inquit: *Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Hoc idem planctu illo suo acerbo, supra Ierusalem significat: *Ierusalem, inquit, Ierusalè, quæ occidis prophetas. Si cognouisses & tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Docet
- Luc. 14. idem Paulus & Barnabas: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* At postquàm gens illa, vrbsque simul recessit à viis domini: neglexit mandata eius: ingratam se tanti beneficii præstitit: nec cognouit tempus visitationis suæ; tum illud Domini consecutum est: *Dico autem vobis, quòd multi ab oriente & occiden-*

*cidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob, in regno cælorum: filii autem regni eici-  
 cientur in tenebras exteriores. Et, Relinquetur vobis* Matth. 21.  
*domus vestra deserta. Et, Auferetur à vobis regnum* Matth. 23.  
*Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Quæ om-  
 nia non aliud docent, quàm illud, Iudæam, si in viis  
 Domini ambulasset: si præcepta eius custodiuiisset:  
 siq; beneficiorum illius memor fuisset: si diem visi-  
 tationis suæ cognouisset; caput regni Messia futu-  
 ram fuisse, sedem autem Ierosolymam: cæteras au-  
 tem gentes & nationes hinc, tanquam ex arce sum-  
 ma, salutem, omniaq; alia petituras fuisse. Si au-  
 tem reliquerit Dominum: si à viis eius recesserit:  
 si tantis beneficiis se ingrati præstiterit; tum am-  
 plius non in caput, sed in caudam futuram; tum  
 amplius illis ipsis gentibus, quibus præesse debuit,  
 seruituram, & ad extremum perituram. Quo qui-  
 dem loco animaduertendum est, quanta vis sit in-  
 gratitudinis, à cuius etiam nomine abhorrent La-  
 tini, cuius causa firmissima etiam Dei promissa re-  
 texantur, iuxta illud Ieremiæ: *Repente loquar ad-* Ierem. 18.  
*uersus gentem, & aduersus regnum, ut eradicem &  
 destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit  
 gens illa, à malo suo, quod locutus sum aduersus eam;  
 agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut  
 facerem ei: & subito loquar de gente & regno, ut**

*edificem & plantem. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam; pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum ut facerem ei. Nemo igitur sibi dum peccat blandiatur: nemo promissiones alleget; sed cesset potius ac pœnitentiam agat, & sic demum speret meliora. Translato igitur ita uti dictum est, à Iudæis ad gentes Messiaë regno, regiaë quoque translatio fieri debuit; ita ut ex principe Iudææ vrbe, ad principem & caput gentium vrbem sedes Davidis translata sit, Romam, inquam: *Et erit in loco vbi dictum est eis: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei viui. Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Dicam non populo meo, populus meus es tu; & ipse dicet, Deus meus es tu: ut sint plures filij sterilibus, quàm eius quæ habebat filios. Quemadmodum enim corpore toto gentis hebrææ reprobato, aliud corpus assumptum est; ita capite illius neglecto, caput aliud quæsitum est. Quis hæc docet? aut unde hæc probas? primùm ex re ipsa: sic enim per mille trecentos & amplius annos fieri videmus, Romæ primam sedem esse: inde fidem & cæremonias à cunctis gentibus peti: illuc obedientiam regum ac regnorum sponte, sine omni vi aut coactione, deferri. Deinde ex promissione Christi, quam de-**

dit

Rom. 9,

Olee, 2.

dit primo sedis illius antistiti Petro: *Tibi dabo claues regni cælorum*: at claues summam potestatem, summum imperium, designare docet scriptura, iuxta illud Isaiæ: *Dabo claue[m] domus Dauid, super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Quod paulò antè idem Isaias interpretatus est, loquens ad Sobnam præpositum templi, cui claues istæ auferendæ erât, & dandæ Eliacim filio Helciæ, ministro regis Ezechia, de quo dictus locus ad literam intelligitur: *Et erit: inquit, in die illa, vocabo seruum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius; & erit quasi pater habitantibus Ierusalem, & domui Iuda.* vbi claues summam & præcipuam potestatem interpretatur Isaias, vnde in dediti-  
onibus vrbium illi claues traduntur, qui summa rerum potitur; & cui illæ traduntur, ei tota regendæ ciuitatis potestas committitur. At quas claues Petro Christus promittit? non alias certè, quàm eas, quas ipse à patre accepit, de quibus illud: *Ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus; & ecce sum viuens in secula seculorum, & habeo claues mortis & inferni.* Vnde sedes Dauid sempiterna, nõ tam Dauidi & filio eius Salomoni, qui quadraginta solos ipsos annos regnauit, quàm semini eius benedicto

Matth, 16.

Isaiæ 22.

Apocal, 1.

dicto Christo Domino, in perpetua secula promittitur. Tuum, hoc est, dices iudicium? tuus priuatus sensus? Nequaquam: semper enim fugio, ne aliquid meum videri possit. Idem sentiunt veteres, non tantum Latini, sed & Græci patres. Epiphanius primus ante mille annos, sic locum interpretatus est istum:

Lib. 1. tom:  
2. cap. 29.

*Thronus, inquit, David, & regia sedes, est sacerdotium in sancta ecclesia, quam dignitatem regiam simulque Pontificum coniunctam largitus est dominus sanctæ ecclesiæ suæ, translato in ipsam throno David, nõ deficiente in alio. Et à domo quidem carnali Iudææ & Isràel, regia dignitas translata est: firmiter autem sedet thronus in sancta Dei ecclesia in æternum, ex duplici origine dignitatem habens, regia et sacerdotali: cum & Christus ipse sit princeps, & Pontificum præfectus, & rex regum, & dominus dominantium. Hæc Epiphanius. Quibus verbis docet, thronum Christi visibilem, non in seculari imperio tantum, sed & multo magis in sacerdotali dignitate consistere, ut eadem sit pontificia & regia dignitas. Quibus non dissimile aliquid docet D. Petrus. Nam cum in Exodo dictum fuisset: *Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta*: Petrus mutat ordinem: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*: ac regale sacerdotium vocat; illic enim regnũ, hinc sacerdotium primas obtinet partes. Ideoq;*

Exod. 19.

1. Petri 2.

ibi

ibi regnum sacerdotale, at hîc regale sacerdotium dicitur. Quod non nisi penes primum & summum Christi successorem esse videmus. Epiphanium sequuntur cæteri ferè omnes, sed & prior Epiphanio Irenæus: *Ad hanc, inquit, ecclesiam propter potentio-  
riorem principalitatem, necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles; in qua semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.* Cyprianus similiter: *Deus vnus est, & Christus vnus, & vna ecclesia, & cathedra vna, super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum sacerdotium, nõ potest. Quisquis alibi collegerit, spargit.* Athanasius, & vnà cum eo totius Ægypti Episcopi, Marcum sanctæ Romanæ Apostolicæ sedis, atque vniuersalis ecclesiæ Papam nominant; sanctamque eius sedem matrem, & caput omnium ecclesiarum agnoscunt; cui cum omnibus sibi commissis perpetuò se futuros obedi-  
entes pollicentur. Et ad Felicem Papam similiter: *Scimus in Nicæna magna synodo, trecentorum decem & octo episcoporum, ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia concilia celebrari, nec episcopos damnari.* Et paulò post: *Tu prophanarum hæresium, & impetitorum, atque omnium infestantium depositor, & princeps, & doctor,*

Lib. 3. aduersus hæreses, cap. 3.

Lib. 1. episto la 8.

In episto. ad Marcum Papam.

De iudicio  
dei, & de pec-  
cato, orat, 3.

Epistola 52.

Epistola 57.

doctor, caputq; omnium orthodoxæ doctrinæ & im-  
maculatæ existis. Et paucis interiectis : O sanctissime  
pater patrum, abscinde blasphemias, etc. Basilii illa  
sunt : Beatus Petrus, qui omnibus discipulis iudi-  
cio ipsius Christi prælatus est, qui solus maius cæ-  
teris testimonium & beatitudinem obtinuit, & cui  
regni cælorum claves creditæ sunt. Idem ad Athana-  
sium : Visum est autem nobis conueniens, ut ad epi-  
scopum Romanum de cognoscendis rebus iis, quæ hîc  
geruntur, ac de sententia ferenda, mittamus litteras ;  
præsertim cum ex communi & synodico decreto, ali-  
quos illinc mitti esset difficile, ut ipse de hoc negotio,  
pro authoritate sua, statuatur. Chrysoströmus similiter :  
Illi ecclesiæ, quæ tot tantisque fluctibus impetu irrum-  
pentibus immobilis manet, pastor & caput, piscator ho-  
mo est. Hieronymus eodem modo ad Damasum Pa-  
pam : Quoniam vetusto oriens inter se populorum fu-  
rore collisus, indiscissam Domini tunicam & desuper  
textam minutatim per frustra discerpit ; & Christi vi-  
neam exterminant vulpes, ut inter lacus contritos, qui  
aquam non habent, difficile, vbi fons signatus, & hor-  
tus ille conclusus sit, possit intelligi : idcò mihi cathe-  
dram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui  
consulendam ; inde nunc meæ animæ postulans cibum ;  
vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neque verò tan-  
tu vastitas elementi liquentis, & interiaces longitudo  
terra-

terrarum, me à pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta patrum conseruatur hæreditas. Ibi cespitè terra fœcundo, Dominici seminis puritatem centeno fructu refert: hïc obruta sulcis frumenta, in lolium auenasq; degenerant. Nunc in occidente sol iustitiæ oritur; in oriente autem lucifer ille, qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa, & argentea: hïc testacea vasa, vel lignea, virgam ferream, vel æternum operiuntur incendium. Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, à sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ouis flagito. Faceffat inuidia: Romani culminis recedat ambitio; cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudinis tuæ, id est cathedræ Petri communionem socior: super illam petram ædificatam ecclesiam scio. Quicumq; extra hanc domum agnum comederit, propheta nus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Et hæc quidem vetustissimi, tam orientis, quàm occidentis patres, de hac fede ac throno. Neque verò dissimilis est, aut ortus aut progressus, & incrementa vtriusque huius sedis. Vtraq; per labores, pressuras, persecutiones, latibula, fugas,

stetit, & confirmata est. De sede Dauidis iam antea dictum est. Romanæ sedis laborum testes sunt, illæ cauernæ, illi cuniculi, illæ cryptæ, quas etiam nunc orbis miratur, vbi eius sedis principes delitescere, vbi christianum populum docere solebant; testantur superbæ thermæ, theatra, quas manibus suis coacti erigebant: testatur ille tuus Soractes, ô beate Syluester, in quo instar vulpeculæ delitisti: vnde sacrum illud baptisma Constantino primo christiano protulisti: vnde cæteri, tanquam pecora morti destinata, educebantur. Ad trigessimum & amplius, Pontificem loci illius vix aliquis morte spontanea interiit, omnes ferè cæsi sunt, omnes martyres dicebantur: & quantò profundius hic thronus, hæc sedes fundabatur: tantò magis in cælum totum ædificium surgebat; vt dissipato & euerso capitolio Vaticanus, eiecto Romulo, Petrus substitueretur. Nunquam sine persecutione fuit sedes Dauid, nunquam sine persecutore; nunquam ecclesia Romana sine illis, qui eam infestarent, hæreticis. Persequebatur sedem Dauid, filij, & amici, homines pacis; idem patitur Petri sedes. *Amici mei, & proximi mei, aduersum me appropinquauerunt & steterunt. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permanissent utique nobiscum.* Crescebat persecutionibus domus Dauid: crescit

Psal. 38.

1. Ioan. 2.

crescit & illustratur similiter Romana sedes. Mite  
 fuit & mansuetum regnum Dauid : mitis itidem &  
 mansueta sedes Petri, fuit & esse debet. Verè igitur  
 est sedes Dauid, & domus Iacob. De hac sede, &  
 throno magnificè scriptura : *Et suscitabo mihi sacer-* 1. Reg. 2.  
*dotè fidelem, qui iuxta cor meum & animã meam faci-*  
*et; & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram*  
*Christo meo cunctis diebus.* Isaias similiter: *Vos autem* Isaiæ 61.  
*sacerdotes Dei vocabimini; ministri Dei nostri, dice-*  
*tur vobis. Fortitudinem gentium comedetis, & in glo-*  
*ria earum superbietis. Pro confusione vestra duplici.*  
*& rubore, laudabunt partem eorum, propter hoc in*  
*terris sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit*  
*eis. Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti*  
*sunt semen cui benedixit dominus.* Et iterum : *Hæc* Isaiæ 49.  
*dicit Dominus Deus : Ecce leuabo ad gentes manum*  
*meam, & ad populos exaltabo signum meum, & adfe-*  
*rent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros*  
*portabunt. Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nu-*  
*trices tuæ : vultu in terram demisso adorabunt te, &*  
*puluerem pedum tuorum lingent, & scies quia ego Do-*  
*minus; super quo non confundentur, qui expectant e-*  
*um. Et erit in nouissimis diebus præparatus mons do-* Isaiæ 2.  
*mus Domini in vertice montium, & eleuabitur super*  
*colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt ad eum*  
*populi multi. Quod idem Daniel prædicit : In diebus* Daniel, 2.

Daniel 7.

Isaïæ 60.

regnorum illorum, suscitabit Deus regnum cæli, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur. Et paulò post: Regnum autem & potestas & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, datur populo sanctorum altissimi, cuius regnum, regnum sempiternum est; & omnes reges seruiant ei, & obediant. Et ædificabunt, inquit Isaïas, filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. In indignatione enim mea percussi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui. Et aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non cludentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum quod non seruiert tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Gloria Libani ad te veniet: abies, & buxus, & pinus, simul ad ornandum locum sanctificationis meæ; & locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum, omnes qui detrabebant tibi: & vocabunt te ciuitatem Domini Sion sancti Israël. Pro eo quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem: & suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis, & scies quia dominus ego saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. De Ierosolyma hæc dici mussitabit nouus aliquis Iudæus. At-  
qui

qui Ierosolymam amplius caput non subleuaturam  
 iidem prædixerunt prophetæ, prædixit & Christus  
 Dominus. Neque tamen hoc dico, non posse eam  
 sedem aut regnum aliò, ob peccata hominum mul-  
 tasque alias causas, transferri: ita tamen vt nunquã  
 ab eius successione & semine auferatur, cui dictum  
 est: *Pasce oues meas, pasce agnos meos.* Neque enim Ioan. 21.  
 aut certæ alicui personæ, aut certo loco, sed vniuer-  
 so ordini atque successioni principis Apostolorum  
 promissio facta est. Quæ igitur sit hæc ipsa sedes  
 David, quæ domus Iacob, in quo loco sedē fixerit,  
 paucis quasi in typo dictum est. Nemo igitur dicat,  
 nemo se vanè efferat, ecclesiam Dei extinctam ali-  
 quando fuisse, atque diminutam, aut aliquo tempo-  
 re, donec sponsus eius aduenerit, commoueri aut  
 conuelli posse: *Correxerit enim semel orbem terrarum,* Psal. 95.  
*& in æternum non commouebitur.* Nemo Petri sedi  
 minetur: *Portæ inferi non præualebunt aduer-* Matthæi 16.  
*sus eam. Gens & regnum, quod non seruiert illi peri-*  
*bit.* Experta est hoc ipsum Asia, experta Ægyptus,  
 experitur nunc misera Græcia, atque Hungaria:  
 quod vtinam nos experiamur nunquam. Sed si tam  
 clara, tam euidentia, tam illustria huius ipsius no-  
 bilissimæ sedis signa & indicia sunt: si hæc ipsa ciui-  
 tas in tam alto monte posita est: si hæc luna, hæc  
 stella, hæc cynosura, hic sol, lux denique ipsa tam  
 clara

clara est, cur à tot millibus hominum videri non po-  
 test? Cur in gloria positum iustum Ioseph, inhu-  
 mani fratres non agnoscunt? Cur vbera illa quibus al-  
 ti & educati sunt, refugiunt? Cur matrem pulchræ  
 dilectionis & magnæ spei non amplectuntur? Non  
 aliam certè ob causam, quàm quòd sedes ista hu-  
 milis esse debet, nos ambitiosi: sedes ista pacifica,  
 nos turbulenti: sedes ista sub cruce, nos voluptati-  
 bus diffluimus: sedes ista laboriosa, nos in per-  
 petuò otio: sedes ista cælestis ac spiritualis, nos  
 mundo ipso magis, vt ita dicam, mundani sumus.  
 Quid enim vult mundus, quod non nos magis ve-  
 limus: Quis œconomus quandoque magis prouid-  
 us? Sacerdos. Quis pecuniæ collector auari-  
 or? Sacerdos. Quis scriba exactior? Sacerdos.  
 Quis pragmaticus acrior? Sacerdos. Quis volupta-  
 tum minister mollior? Sacerdos. Quis mensarum  
 apparator prolixior? Sacerdos. Quis venator saga-  
 cior? Sacerdos. Quis computator, quis rationum  
 exactor diligentior? Sacerdos. Quis dux belli im-  
 perator, miles nõnunquam acrior? Sacerdos. Quis  
 ad extremum cocus, potor, scurra? Sacerdos. Cùm  
 igitur sedes Dauid talis, qualem diximus, esse de-  
 beat; talem autem propter improbos mores no-  
 stros isti non vident, eam agnoscere nolunt. Scitis  
 enim quid crimentur, quid tertio quoque verbo  
 appel-

appellent, mores, inquam, & vitam corruptissimā  
 nostram. Auferatur modò velamen istud à facie e-  
 ius decora, & exorietur tanquam luna, aut sol in  
 meridie: & confluent ad eam omnes gentes, & ibunt <sup>Isaia 2.</sup>  
 populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad  
 montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & doce-  
 bit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: & <sup>Pfal. 21.</sup>  
 reminiscetur, & conuertentur ad Dominum Deum  
 suum, & adorabunt eum. Huic ergo adhæreamus,  
 hanc sequamur, in hac simus, in huius sinu & gre-  
 mio moriamur; ab hac nos diuelli non patiamur,  
 si de domo Dauid esse volumus, & non filii Belial  
 appellari; si contubernales sanctorum, & domestici  
 Dei, membra summi capitis, hæredes Dei, cohære-  
 des Christi: si in vita futura æterno patri tradi  
 cupimus, vt sit ipse omnia in omnibus. Sed  
 de Christi regno satis diximus. Nunc  
 conceptionis Regis tanti  
 modum videa-  
 mus.

V

NVN-

# NUNTII SALVTIS,

## Siue de incarnatione,

### SERMO QVINTVS.

*Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur filius Dei, &c.*

Ezech. 44.

**I**Nter reliqua diuina & admiranda arcana, quæ Ezechieli cælitus fuerunt reuelata, illud vnum, ac nescio an non summum est: *Et conuertit me, inquit, ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem, & erit clausa: & dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritq; clausa principi, princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino: per viam portæ vestibuli ingrediatur, & per viam eius egrediatur. Et Isaias: Transibit in pace, semita in pedibus eius non apparebit. Porta hæc clausa, virgo est, & qui ingreditur per eam, contra omnem Ariam impietatem, Deus ipse est. Oportebat enim cum,*

Isaie. 14.

Chrysofom.  
homil. 49. in  
Genes.

est, inquit Chrysoftomus, partim natiuitatem com-  
 munem cum nostra natiuitate habere, & partim  
 alienum esse ab ea: atque ea quæ hominis sunt su-  
 pra hominem operari. Vtrunq; ergò hoc in eo con-  
 spicitur arcanum. Nam de vtero prodire, commu-  
 ne habebat nobiscum: absque nuptiali autem con-  
 gressu nasci, supra nostram est natiuitatem. Eius  
 igitur tam admirandi secreti, ab Ezechiele pri-  
 mum visi, nunc autem virgini ab Angelo expo-  
 siti, quærit rationem & modum virgo. *Quomo-  
 do*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?*  
 ac si diceret, quomodo per portam istam ingre-  
 dietur & egredietur princeps, si porta ista sempi-  
 terno voto & instituto meo clausa est, & erit sem-  
 per? si nemo per illam vnquam ingredietur, vte-  
 rusque meus soli suo custodietur conditori? Pan-  
 dit Angelus portæ ostiarium: pandit modum ape-  
 riendæ portæ: demonstrat clauem: *Spiritus*, in-  
 quit, *sanctus superueniet in te, & virtus altissimi*  
*obumbrabit tibi.* Porta tamen hæc clausa erit, clausa  
 ante partum, clausa in partu, clausa post partum;  
 vt ter non frustra repetiit propheta. Quod totum  
 quale sit, etiamsi angelicum superet captum, duce  
 Deo, consequenter explicemus.

Dictum est, missum fuisse Angelum ad virginem  
 desponsatam: virginem, inquam, vita, virginem

moribus, virginem professione, virginem denique  
 mente & corpore sanctam, vt inquit Apo stolus. Au-  
 dit nuntium voto & instituto suo repugnans. Nun-  
 quam enim auditum est, aliquam simul virginem &  
 matrem fuisse. Et toto quidem hoc tempore inter-  
 na cogitatione contenta fuit, quo tacuit; at vbi  
 virginitatem, quam charissimam habuit, in periculū  
 adduci videt, loquitur, ex admiratione potius & co-  
 gitatione, quàm diffidentia. Ante, inquit, agri cul-  
 tum, spica non producit; terra non plantata non  
 germinat: nullum in toto orbe eius rei habeo ex-  
 emplum, in nulla creatura, vnde argumentum fidei  
 & solatiū capiam video, verbis tuis credo, & persua-  
 sum de his habeo, nec me latet id ab Isaia prædictū  
 esse: modū igitur quæro: *Neq; enim de effectu,* inquit  
 Ambrosius, *dubitauit, sed qualitatem quærit effectus.*  
 scit enim lubricum esse bonum pudoris. Modum ta-  
 men vbiq; seruat: medio tutissima incedit. Zachari-  
 as enim & senex & sacerdos, hic, quorum multa ha-  
 buit exempla, in Sara, inquam, Rebecca, Rachele, &  
 quæ ipse expetiit, nuncianti Angelo non credit, tur-  
 batur, à seipso excidit, ideò mutus & surdus effici-  
 tur. Eua ambitiosa ex aduersò gaudet, effertur, ser-  
 penti temerè assentitur. Maria verò modum rei, cu-  
 ius nullum extabat exemplum, inquit Euthymius,  
 quærit. Nulla enim virgo, ad id vsque tempus, sine

viro conceperat aut pepererat: institutoq; ac virginitati suæ cauere: nec enim facile quis potest earum rerum obliuisci, quas semel ex animo adamauit. De re ipsa nihil dubitat; neque enim illud audiret, si dubitaret: *Beata, quæ credidisti.* Itaque iniquissimam illam Caluinus comparationem facit: videri posse, ab eadem malignitate virginis interrogationem proficisci, à qua Zachariæ profecta fuit. Nihil profectò simile. Zacharias siquidem signum quærit: *Unde, inquit, hoc cognoscam?* Virgo modum: *Quomodo fiet istud?* Zacharias rei raræ quidem, visitatæ tamen, vt dixi, non credit; multæ enim steriles pepererant. Virgo rei impossibilis, & quæ antea nunquam facta est, rationem quærit. Zacharias postulata sua non acceptat, sic enim inquit Angelus: *Exaudita est oratio tua.* Virgo rem subitanam miratur, de qua nihil vnquam cogitauit: *Quid enim* In Lucam. *tam inauditum,* inquit Ambrosius, *quàm virgo prægnans? contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius carior cura est virgini. Zacharias autem, non de impari conditione, sed de senili ætate non credit; nam conditio congruebat. Ex viro & femina solennis est partus. Nec incredibile debet videri, ubi natura concordat. Cùm enim ætas naturæ sit, non naturæ ætatis, fit plerunq; vt ætas impediatur naturam; nõ est tamen irrationabile, vt minor cedat causa maiori;*

Et potior prerogativa naturæ, vsus inferioris exclusio  
 etatis. Huc accedit, quod Abraham, & Sara filium  
 in senectute susceperant: & Ioseph filius senectutis  
 est. Quod si, quia risit Sam, reprehenditur; iustus  
 condemnatur, qui nec oraculo credidit, nec exemplo.

Libr. 16. de  
 ciuita. Dei  
 cap. 24.

In Lucam.

hæc Ambrosius. Præclare igitur Augustinus inter  
 Zachariam (quod fidei rationem attinet) distin-  
 xit: Zacharias quando ait: unde hoc sciam, vel per  
 quid hoc cognoscam, qui sum adeo cum uxore senex &  
 desperando dixit, non inquirendo. Maria verò, cum  
 interrogat: Quomodo fiet istud, quia virum non co-  
 gnosco? inquirendo dixit non desperando. Propterea  
 illi dicitur: Tacebis, quia non credis: huic verò cau-  
 sa exponitur; quia dum interrogaret, de promissione  
 non dubitauit. Sed & Ambrosius, Domini matrem  
 defendit, ac fidei imbecillitatem in solo Zacha-  
 ria ponit: Maria, inquit, iam de negotio tractat:  
 Zacharias adhuc de nuntio dubitat. Negat ille se cre-  
 dere, qui negat se scire, & quasi fidei adhuc quærit ali-  
 um authorem: ista se facere profitetur, nec dubitat esse  
 faciendum, quodq; fieri possit inquiret, quomodo. Quæ-  
 rit igitur virgo, propter rei difficilis maiorem il-  
 lustrationem: propter prauorum errorum, omnisq;  
 dubitationis in futurum exclusionem, nostramque  
 ædificationem. Vide autem virginis humilitatem,  
 virginitatisque studium: oblata sunt illi regna, sce-

ptra

pra patris Dauid; non quaerit quae & qualia haec  
 futura sint; sed ipsi soli virginitati suae cauet; de re-  
 gnis, sceptris nullam curam habet. Vbi illud inpri-  
 mis adnotandum est, verbum hoc, *Quomodo*, ne-  
 que semper dignum esse reprehensione, neque  
 semper laudabile: malum & reprehensibile est,  
 quoties verbo Dei non assentitur, quoties omni-  
 potentiae eius detrahit, quoties non id totum eum  
 posse, quod vult, existimat; quoties ex curiositate  
 & infidelitate prouenit, quale illud Capharnaitarum  
 fuit: *Quomodo potest hic dare nobis carnem suam  
 ad manducandum?* Et illud Nicodemi: *Quomodo  
 potest homo nasci, cum sit senex?* Et quale itidem il-  
 lud nouorum Capharnaitarum: *Quomodo panis iste  
 caro, vinum hoc sanguis Christi esse potest?* Exitio-  
 sum hoc est *Quomodo*. Capharnaitarum hoc tale  
*Quomodo* vocat Cyrillus. At bonum & salutiferum  
 illud est, quod spiritus probat, quod temeritati &  
 leuitati obsistit, quod institutis suis bonis cauet,  
 quod discere cupit; quale hoc est virginis: *Quomodo  
 fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ex qua ple-  
 na prudentiae & sapientiae virginis percontatione  
 plura discuntur, quam ex aliorum subita & temera-  
 ria assensione. Quid enim magis dignum erat aut  
 perturbatione, aut inquisitione; quam Dei videre  
 descensionem ad uterum vsque mulieris, Dei in-  
 tra

tra viscera virginis conclusionem, cuius cælum thronus est, & terra scabellum pedum eius; tum etiam vniuersam videre naturam, cum plaste suo coniunctam? Primum autem illud in hoc virginis sermone obseruandum est, beatissimam virginem Mariam, non solum mente & corpore, sed etiam voto & professione, quicquid Heluidius, & qui ab ipso non multum absunt, sentiant, virginem fuisse. *Profectò*, inquit Augustinus, *non diceret virum non cognosco, nisi virginem se antè vouisset.* Hæc igitur Mariæ verba indicium sunt eorum, quæ tractabat in arcano. Nam si causa copulæ coniugalis Ioseph desponsari voluisset; cur admiratione ducta est, dum sibi narratur conceptio? cum nimirum illa præstolaretur ad tempus mater effici, iuxta legis naturam. Verum quia oblatum corpus Deo, quasi quoddam ex sacris, inuiolabile seruari decebat, idè miratur; Idè dicit Greg. Nyssenus sermone de Christi natiuitate: *Hæc*, inquit, *vox Mariæ demonstrat esse veram, quæ per occultam illam historiam traduntur. Nam si nuptiarum causa assumpta erat à Iosepho: quomodo Angelum de partu prædicentem, quasi re noua atq; insolitam obstupefactam, auersata esset; quum prorsus speraret, se quoque ipsam aliquando, iuxta legem naturæ, matrem esse futuram? Sed quoniam Deo dicatam, & consecratam carnem, intactam seruari oportebat, propterea etiamsi angelus sis, in-*

Lib. de virginitate cap. 5.

*sis, inquit, ac de cælo veneris, etiamsi supra hominem sit id, quod apportas, attamen vt virum cognoscam, fieri non potest.* Hæc Nyssenus. Nullam igitur, ita vt dicere cœpi, cum ratione coniunctam causam, hæc ipsa haberet virginis interrogatio, nisi fixa & rata suæ castitatis vota antecessissent. Facile enim illud virgini prudentissimæ in mentem venire posset, eam, quantumvis tunc virgo fuerit, tamen cum & iuuenis esset, & viro desponsata, nihil impedire posse, quia completis nuptiis conciperet. Verum cum virgo voti sui sibi conscia fuisset; ea causa, tanquam de re, quæ nullo modo saluis legibus naturæ & virginitatis esse possit, quærit, *quomodo fiet istud*, quæ & animo & voto constitui nunquam me virum cognituram, vt aut concipere aut parere possim? Neque tamen id solum, hoc loco obseruandum est, virginem scilicet voto sempiternæ virginitatis se obstrinxisse; sed illud etiam, quod longè maius est, idem votum à Domino confirmatum & approbatum fuisse: idque ipsi virgini aliquo modo diuinitus significatum ac reuelatum fuisse. Nisi enim hoc esset, poterat rectè Angelus illud inferre: Tu quidem voto, vt dicis, te obligasti; sed hoc votum tuum irritum, neque à Deo acceptum fuit; & proinde tibi nubendum est, liberi suscipiendi, cum homo non sit in manu sua. Quapropter virgo, tanquam de re pa-

& a & conuentâ, loquitur: *Quomodo*, inquit, *fiet i-*  
*stud?* quomodo decretum cum voto pariter conue-  
 niet? qua ratione ero mater, quæ sponfa non sum:  
 cùm & ego votum sempiternæ virginitatis fecerim,  
 & Deus excelsus, qui non mutatur, illud ita ro-  
 borauerit; vt neque fide mea salua, neque diuina  
 constantia fixa, aut concipere aut parere possim?  
 Ideò autem puto, Deo ita volente, virginem votum  
 virginitatis prius fecisse, quàm illud sciret, se ali-  
 quando matrem filij altissimi futuram: ne exi-  
 stimaretur, eam non virginitatis, aut continentia  
 captam amore, castitatem complexam fuisse; sed  
 quia mater Dei futura non fuisset, nisi virgo extitisset:  
 atque ne deinceps foeminæ reliquæ inde, quasi  
 excusationem quærerent, virginitatem scilicet non  
 passim ad omnes, sed ad eam solam, quæ mater Dei  
 futura fuisset, pertinuisse, alias autem omninò non  
 attingere. Voluit igitur summus ille castitatis, & in-  
 tegrîtatis amator Deus, hoc factò illud docere, nò  
 ideò matrem filij sui virginitatem amplexam esse,  
 quia mater Dei futura erat; quandoquidem pri-  
 usquàm hoc sciret, voto sempiterno se obligauit:  
 sed ideò, quia virgo fuit, qualem tum nullam fe-  
 rè similem illi in Iudæa fuisse credibile est, digna  
 tanto, vt mater Dei fieret, habita honore; vt in  
 posterum omne tempus, amplissimum spontaneæ  
 virgi-

virginitatis Mariæ matris Iesu trophæum erigatur, & aliis exemplum eiusdem virtutis amplectendæ detur, ipsiusque dignitas & amplitudo commendetur. Demùm illud item hoc loco discimus, eam votorum constantiam & firmitatem esse debere, vt quicumque aliquid Deo semel vouerit, id omni eum ratione tueri debere, etiamsi omnia alia commoda prætermittenda, vel incommoda subeunda sint. Docet hoc exemplo suo constantissima virgo, quæ mater etiam Dei esse recusat, si sibi voti constantia sit frâgenda, si data fides fallenda: eligitque potius abiecta esse virgo, quàm foedifraga Dei mater. Nulla igitur res est tanta, nulla occasio, nullum commodum, nullum periculum, cuius causa susceptum votum violandum sit: nullaque vis humana, nulla potestas est tam potens, quæ ab illo temerè possit absoluere. Neq; enim aut maius quid, aut salubrius potuit offerri, quàm matrè esse Dei; neq; verò maior, aut potentior dispensator esse, quàm Deus ipse; votum tamen sanctè & integrè potius virgo sibi seruandum existimauit, quàm vt mater Dei esset. Nullam igitur tantam causam, tam vrgentem habuit Lutherus, nullam Bulingerus, nullam alii, cur & ipsi votum castitatis rumperent, claustraq; monasteriorum desererent, & aliis paris sacrilegij authores fierent. Glorientur sanè isti, quantum volent, ducibus

& authoribus sectarum suarum: ego certè mihi persuadere nullo modo possum, spiritum illum Dei sanctum & veracem in hominibus perfidis ac periuris permanere potuisse, aut aliquid magnum per illos molitum fuisse: cum præsertim non modò eius tanti flagitij eos non pænituert, sed etiam aliis idem faciendi nefariè authores fuerint. Idem sentiunt me cum veteres penè omnes. Cyprianus in primis: *Christus, inquit, dominus & iudex noster, cum virginem suam sibi dicatam iacere cum altero cernit, quam indignatur & irascitur, & quas pœnas, in cœstis eiusmodi coniunctionibus, comminatur?* Basilius eodem modo: *Horrendo, inquit, sacrilegio, Christi sponsæ adulter efficitur.* Chrysostomus etiam: *Honorabiles, inquit, nuptiæ, sed te iam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum: quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen adulterio illud peius existimo, etc.*

Lib. 1. epist. 11

De virginitate.  
Epist. 6. ad  
Theodorum

In psal. 99. Augustinus pariter: *Dum non perseuerauerit, inquit, implere quod vouit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi.* Hæc illi. Itaque etsi cætera omnia salua haberent, hæc tamen nunquam effugient, periuros & votifragos, duces se secutos esse. Atqui irritâ facientes primam fidem (de eadem viduarum, voto instituta castitate agens, inquit Paulus) damnationem habent. A damnatis igitur orti, ipsi damnati sint oportet: ac de illorum ordine, qui deos

deos aureos, argenteos, ligneos, & lapideos colunt, de quibus ita præclare sentiunt: vt, *si quis illis votum vouet, & non reddiderit, neque hoc requirunt.* Hæc vera sunt, euidencia sunt, demonstratiua sunt: ita tamen Euangelicos se esse, & vocari volunt. De quibus illud dicimus, quod præclare aliquando Lactantius de veteris seculi sapientibus dixit: *Postquã sublata sapientia est, tum demùm sibi homines nomen sapientum vendicare cœperunt; tum autem nemo sibi nomen sapientis usurpauit, cùm omnes erant.* Idem enim istis accidit: postquam sublatum Euangelium est ab ipsis, tum demùm sibi nomen Euangelij vendicare cœperunt: tum autem nemo sibi nomẽ Euangelij vendicauit, cùm omnes erant. Sed hæc quidẽ hæctenus. Diues igitur hæc virginis percontatio: diues interrogatio; longè ditior, quàm aliorum subita assensio aut credulitas. Fallitur ergo hæretica fex Sarcerij, Culmani, qui virginẽ aliquid animale sensisse, aut per ignorantiam peccasse, aut Dei verbo se pertinaciter opposuisse, aut humanæ sapientiæ argutiis innixam fuisse, plusq; sensui quàm Deo credidisse, blasphemè calumniantur. Nunquam enim virgo illud pulcherrimum Elizabethæ testimonium retulisset: *Beata quæ credidisti*: nunquam ab Angelo etiam, & ante & post tam sanctè compellata fuisset: nunquam gratia plena: nunquam

benedicta in mulieribus censeretur, si illi foedæ infidelitatis aliqua nota adhæssisset; præsertim tanta salutatione erectæ & confirmatæ. Nam si Abraham pater omnium credentium, infidelitatis crimen nõ incurrit, illudque Pauli testimonium retulit, illum credidisse Deo, & reputatum esse illi ad iustitiam; etiam si illud similiter de terra promissionis quæsierit: *Domine Deus unde scire possum, quòd eam terram sim possessurus?* quantò minus virgo, ab omni infidelitatis labe est alienissima, quæ non contradicit, sed interrogat tantum? Quærit igitur beatissima virgo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Vir enim meus Deus, quod vel tu ipse nomine tuo præfers. Cui tam graui, tamque necessarij quæsitj, respondet Angelus, modumque explicat: Ne timeas virgo, tua tibi integra permanebunt; hanc domum sanctus sanctorum ingrediens, non spolia feret, sed magis egrediens integritate donabit: non matrem virginitas deseret: nouit ille seruare, non violare integra: clausa ingressus, clausa relinquet: nec syderi radius suam diminuit claritatem; nec virgini filius tuam auferet virginitatem: illustrat radius solis crystallum penetrans, non inficit. Nec suspectam habeas prudens virgo foecunditatem, quia non auferet virginitatē: grauida eris, sed non grauata: crescet potius tanto  
partu

partu integritas corpòris tui , quàm decreſcet : virginitasque tua augebitur potius , quàm minuetur. Qui enim diſrupta corporis mèbra in aliis poterat integrare tangendo ; quantò magis in ſua matre quod inuenit integrum , non violabit naſcendo ? Anguſtus tuus vterus ſuſtinebit , quod continent cæli : coniunctio hæc ſine ſordibus erit ; vbi maritus ſermo erit , & vxor auricula. Lumen , quod intra te habebis , tenebras nullas , pondus nullum habebit : feres virum ſimul & filium : illius eris mater , cuius Deus eſt pater : filius paternæ charitatis , erit corona tuæ virginitatis : ſapientia paterni cordis , erit fructus vteri virginalis : virginitatem ſimul & fœcunditatem conſeruabis : paries , & vterum non aperies : concipies , & integra remanebis : educes infantem , & vterum ſignatum relinques : lac ſupeditabis , vbera tamen intacta conſeruabis : portabis puerû , pueri tamen patrem non agnoſces : mater efficieris , quæ ſponſa non eris : nutries filium , & eius non inuenietur pater : ager fructum edet , & fructus carebit cultore : meſſis reddet , quæ ſemen non acceperat : curret fluuius , & fons , quacunque ex parte clauſus erit ; vt perſpectum fiat te matrem factam eſſe , & tamen non eſſe paſſam ea , quæ mulieribus accidunt. Non enim ex viri voluntate , aut ex voluntate carnis , ſed ex Deo , quod concipies , naſcetur.

Arſit

Arsit quondam rubus, in quo Deus Moyfi apparuit; & viriditatem suam non amisit: concipies & tu virgo, & virginitatem tuam non amittes. Gedeonis quando maduit vellus, tota area sicca fuit: madente tota area, illud solum ficcum erat. Quemadmodum enim ostrea rorem recipiens in interioribus suis, margaritam gemmam pretiosissimam generat: ita tu gloriosa virgo, Spiritu sancto superueniente filium Dei concipiens, Messiam pretiosam margaritam generabis. Omnes corruptæ pariunt: tu virgo; quin imò hac prole firmabitur, consecrabitur, nobilitabitur, ditabitur, consignabitur, tua sancta virginitas: sine omni tumultu, sine violentia omni, porta hæc Regi patebit, & sigilla eius non referabuntur. Aaronis virga arida sine succo, in manu senis refloruit: & Deus non poterit sine semine concipi in vtero virginis! Neque tamen aut aliqua superna virtus, aut impotens natura, aut aliqua medica vis, hoc efficiet; sed ipse Deus: qui vt leges naturæ posuit, atque præscripsit; ita illis ipse non subiicitur, illisq; nullo modo teneri potest. Ne spectes in terram; totum hoc opus è cælis est. Cælestis erit partus, à cælesti peragetur opifice. *Tabulas nostræ naturæ*, inquit Nyssenus, *quas culpa confregerat, denuò verus Legislatoꝝ, de terra nostra sibi dolabit absque concubitu, diuinitatis suæ corpus susceptibile creans, quod digitus Dei*

*Dei sculpet, id est, Spiritus sanctus veniens in te.* Qui scripsit digito lapideas tabulas sine ferro, grauidabit te Spiritu sancto sine semine : qui produxit panē in eremo sine aratione , ipse imprægnabit te sine corruptione; qui percussit petrā in deserto, & fluxerunt aquæ, ipse educet nouam progeniem ex vtero tuo : qui fecit virgam sine humiditate germinare, ipse faciet te sine semine generare. paries, inquam , operatione diuina , seminatione superna , & aduentu Spiritus sancti. Quod opus etsi totius trinitatis sanctæ erit, in eo tamē primæ partes Spiritu sancto tribuentur; vt qui amor, & gratia sit ; ab eo totū opus hoc , amoris & charitatis perficiatur. Dignum autem erat , vt qui corruptam in Adam massam sanare venit; non de seminis corruptione, sed de potentia spiritus sancti nascatur. Illius , inquam , spiritus sancti, cuius obstetricante manu vniuersa hæc creatura producta constitit. Qui quidem spiritus sanctus, instar nubis cuiusdā rorantis, cælitus superueniet in te, id est, copiosior gratia illabetur in te : ac veluti arre cuiusdam loco, accipies spiritum sanctū; & quam gratiam antea ad omne genus virtutis cōplendæ plenissimam accepisti ; nunc ad hunc effectum, vt parias & grauida fias, copiosam gratiam ; tum vt corpus tuum sanctificetur, tum vt salutarem foetum concipere possis, accipies. Nam quemad-  
Y
modum

modum vapor cæli virtute excitatus, congelatur in rorem, quo terra læta & fertilis redditur: ita purissimus beatæ virginis sanguis, spiritu sancti vi eleuatus fuit, & ex eo pretiosissimum Iesu Christi corpus formatum. Calor iste cælestis, non adurens est, sed fœcundans: rosq; hic sanctus rorans de cælo, non conuellet, sed aperiet terram tuam, & germinabit saluatoré: *Dñus dabit benignitatem: & terra tua dabit fructum suū.* Si enim calor humorq; iste naturalis habet eam vim & facultatē, vt terram aperiat, seminaq; in vtero illius fœcundet: quantò magis spiritus & calor hic diuinus & cælestis, spiritus, inquam, sanctus te faciet fœcundam? Et si spiritus æthereus in femine viri conclusus partum animat, conformat, & perficit: quantò magis spiritus altissimi omnia conformabit? Neq; longo aliquo conamine & interuallo; sed simul vt purissimum virginis sanguinē in vterum collegerit, illumq; attigerit, statim consolidabit, configurabit, perfectumque faciet hominem; ita, vt fœmina perfectum circumdet virum, vt homo integer nascatur in ea, vt plenum hominem plenus accipiat Deus. Non tamen spiritus sancti tantum hoc erit opus, sed & ipsius patris, & filii etiam: *Virtus enim altissimi, splendorque inaccessibilis, virtus illa, qua portat, & regit vniuersa, quæ operata est coram Pharaone in omnibus filiis Isra-*  
ël, ob-

Æl, *obumbrabit tibi*: hoc autem est, diuina vis, tan-  
 quam extensis alis umbram tibi faciet, partesq; viri  
 aget extendens pallium super te; iuxta illud Ruth:  
*Extende pallium tuum super ancillam*: ne immensus Ruth 3.  
 diuinitatis sol te adurat, ne ué à nimia opprimaris  
 gloria téperabit, ne aciē mentis tuæ maiestas ob-  
 tundat, atq; perstringat; nec irradiabit tibi, secun-  
 dūm plenitudinem suæ claritatis, sed velut umbrā  
 suo splendori faciens, exercebit in te effectum suæ  
 potestatis. omnipotens Deus pater obumbrabit ti-  
 ti: id est, suam potestatem immensam tuæ capacita-  
 ti contemperabit, vt eius immensum lumen ferre  
 queas: vt candidissimum lumen, inquit Bernardus,  
 purissimumque fulgorem capias; eademque virtus  
 cælestis, instar cuiusdam aquilæ, quæ te in conce-  
 ptione tua ab omni labe peccati alis suis texit, om-  
 nemque fomitem ex carne tua purissima sustulit, in  
 omni vita custodiuit; nunc etiam in conceptio-  
 ne, obumbrabit tibi, ne ab vlllo prauæ cupidi-  
 tatis ardore, à quo procul abes, aduraris: *Umbris,*  
*item,* inquit Athanasius, *& lineamenta faciet, vt vi-*  
*deas, quantum fieri potest, Deum in te habitantem.*  
 Hic enim est mons ille, quem obumbrantem vocat  
 Abacuc, qui te teget, ac defendet: omnesque defe-  
 ctus, qui partum consequuntur, ipse implebit: Psal. 90.  
*pulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.*

id est, tutam te ab omni, vel naturæ, vel integritatis & pudoris læsione, conseruabit; ab omni item infamia & obrectatione, contradictioneque linguarum: obumbrabit, inquam, quia res nimirum in sacramento erit: & quod sola per se Trinitas in te sola, & cum sola, voluit operari; soli datū erit nosse, quatenus sibi totus tantum notus, habeatur & tibi. Ne igitur à me expectes virgo, quo modo, & qua ratione id spiritus sanctus, aut hæc ipsa virtus altissimi sit effectura, cum id solus tecum qui efficiet, cogniturus est; neque quisquam id nouerit, præter illum qui facit. Ineptè igitur, vt pleraque omnia, Philippus, eam virtutis altissimi obumbrationē ad necessarios pauores ac terrores conscientie peccati, à quibus nulla creatura libera est, refert. Quasi verò, hoc nuntium timoris & pauoris, & nõ potius lætitiæ & gaudij sit: aut quasi in regno peccati, aliquē locum integritas virginalis habere possit. Sed apud istos nihil sanctū est, nihil incorruptum, nihil non inquinatū. Quo quidem loco, pulcherrimus modus & ratio nobis proponitur, quantisper arcana diuina sint perscrutanda; tantisper scilicet, vt ad voluntatem excelsi, & omnipotentem manum eius omnia referamus: quomodo autem & qua ratione quid faciat; ipsi soli scire, qui facit, relinquamus; cum vel ipsius naturæ opera non satis perspecta habeamus.

Pul-

Pulchrè D. Anselmus : *Sufficere nobis debet ad rationem voluntas Dei, licet non videamus, cur ita velit; voluntas namque Dei, nunquam est irrationabilis.* Quod igitur nunc de hac conceptione in vtero, respondet virgini Angelus; hoc idem & nos de ea transmutatione, quæ fit panis & vini in verum corpus, & sanguinem Iesu Christi, Sacramentariis tutissimè respondere possumus. Quærunt illi ex nobis, num credamus, verum corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini contineri; respondeamus, nos credere. Cur ita? Quia ipse dixit: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Vrgent illi, quomodo id fiat? dicamus; Spiritus sanctus superuenit, & virtus altissimi obumbrat. Quærunt amplius, quomodo aut spiritus sanctus, aut virtus altissimi id efficiat? respondeamus, nos Angelicas metas, Angelicos terminos, transcendere non posse. Vtrobique autem esse verum Christum; vtrouique eodem modo & eadè virtute esse & effici, tam in vtero, quàm sub speciebus panis & vini, docent vetustissimi patres. In primis beatus Ignatius Episcopus & martyr, cuius ardore sancto flagrantis illa vox est: *Panem Dei volo, panem cælestem, panem vitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei viui, qui natus est in nouissimo ex semine David & Abrahæ.* Iustinus verò, & hic ipse martyr, palàm affirmat, ad diuinum cibum, qui

Cur Deus ho  
mo cap. 8.

In epist. ad  
Romanos.

Eucharistia dicitur, iam olim admissos non esse alios, nisi hanc fidem profitentes, Christum, qui carnem & sanguinem è virgine pro nostra salute assumpsisset, eandem corporis veritatem nobis in Eucharistia donasse ac reliquisse. Vnde in suo Apologetico verbis disertis illud pronunciat: *Quemadmodum per verbum Dei, caro factus Iesus Christus seruator noster, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit; sic per verbum precatationis & gratiarum actionis, sacramentum ab ipso alimoniam, ex qua caro nostra & sanguis aluntur, illius carnem & sanguinem didicimus esse.*

In Apolog.  
2. ad Antonium  
Pium,

Lib. 5, contra  
Valentin.  
& li. 4. c. 34.

Lib. 8. de Tri-  
nitate.

De iis qui  
mysteriis ini-  
tiantur ca. 9.

Neque aliter docet Irenæus, cuius ad hæreticos refellendos hæc est ratiocinatio, vt rem in pauca con-  
traham. Si Christus verum & naturale corpus de  
virgine non assumpsit; falsò credimus nos Christi  
sanguine redimi; & in Eucharistia nos carne eius  
pasci & sanguine; cùm sanguis non dicatur, nisi qui  
naturalis est, & per humani corporis venas diffun-  
ditur. Et Hilarius simili vtitur ratiocinatione: *Si vere verbum caro factum est; & nos vere verbum carnem cibo dominico sumimus: si vere carnem corporis nostri Christus assumpsit; & verè homo ille, qui ex Maria fuit, Christus est; nosq; vere sub mysterio carnem corporis Christi sumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis, etc.* Ambrosius  
habet in hunc modum: *Nunquid naturæ vsus præ-*  
cessit:

cessit, cum Iesus dominus ex Maria nasceretur? si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consuevit. Liquet igitur quod præter naturæ ordinem virgo genuit; & hoc quod conficimus, sacerdotes, corpus ex virgine est. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgine? vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est; vere ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Quid verò Augustinus? quam euidenter Christum, Christi quæ carnem de Maria susceptam, in Eucharistia tum manducandam, tum adorandam esse affirmat: *Suscepit, inquit, de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hîc ambulauit; & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit: inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum domini; ut non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Ac alibi rursus: Totus erat apud patrem, quando venit in virginem; impleuit illam, nec recessit ab illo: veniebat in carnem, ut eum homines manducarent; & manebat integer apud patrem, ut Angelos pasceret. Gregorii Nysseni oratio est: Huius corporis panem non aratio, non satio, non agriculturæ opus effecit; sed terra intacta permansit;*

In Psal. 98.

In sermo. de verb. Euang

In lib. de vita Moyfi.

*mansit; & tamen pane plena fuit: quo famescen-*  
 Lib. 6. in Le *tes, mysterium virginis perdocti, facile saturantur. Et*  
 uit, cap. 22. *Gregorij Nazianzeni discipulus Hefychius: San-*

Ad Monimū  
 lib. 2.

*cta sanctorum, inquit, sunt propria Christi mysteria; quia ipse est corpus, de quo Gabriel ad virginem dicebat, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideò quod nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Fulgentius item: Quando autem onuenientius, quam ad consecrandum sacrificium corporis Christi sancta ecclesia, quæ corpus est Christi, Spiritus sancti deposcat aduentum? quæ ipsum caput suum secundum carnem de spiritu sancto nouerit natum.*

Sermone 67

*His Chrysologus consonat, qui succinctè quidem, sed grauitè & scitè dixit: Ipse Christus est panis, qui satus in virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace coctus sepulchri, in Ecclesiis conditus, illatus altaribus, cælestem cibum quotidie fidelibus*

Lib. 4. de fi-  
 de orthodo-  
 xa cap. 14.

*subministrat. Concludit Damascenus: Corpus secundum veritatem coniunctum est diuinitati, quod ex sancta virgine corpus est: non quòd ipsum corpus assumptum ex cælo descenderit; sed quòd ipse panis & vinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei. Si autem modum requiris, quonam pacto fiat; sat sit tibi audire, quoniam per spiritum sanctum, quemadmodum ex sancta Deipara seipso, & in seipso dominus carnem sustentauit. Hæc illi. Addit Angelus: Ideòq; & quòd nasce-*

*nascetur ex te sanctum, & vocabitur filius Dei.* Corpus illud filij Dei benedictum, non cœlitus afferetur, vt Eutyches, & Valentinus, ex veteribus; impuri Anabaptistæ, ex nostris sentiunt: non ex syderibus & elementis cōponetur, vt Apelles putauit: non ex ipsius diuinæ substantiæ parte cōdetur, vt Apollinaris opinatus est: non ex nihilo fiet, vt Manichæi asseruerunt; sed ex tuis purissimis sanguinibus, in te, & ex te nascetur. Quomodo enim ex radice Iesse promanaret: quomodo filius hominis esset: quomodo natus ex muliere: quomodo fructus ventris: quomodo seruus ex vtero: quomodo primogenitus mortuorū: quomodo primitiæ dormientiū: quomodo filius tuus: quomodo frater noster: quomodo ex terra ortus: quomodo os ex ossibus, caro ex carne nostra verè diceretur? Aut quomodo nō esset vera calumnia, quā refert Cyrillus, Iuliani Apostatæ; qui ideò negabat Christū esse ex tribu Iuda, quod nō ex Ioseph, sed ex spiritu sancto eum natū esse dicamus.

Lib. 8. contra Iulianum

*Nascetur autē sanctum*, id est, sanctū erit natura, nō cooptatione; quomodo primogenitū, sanctū veteris legis dicebatur. Refutantur ergo ex hoc loco Anabaptistæ, & qui illos in hac parte sequitur Calvinus, qui putant eos infantes, qui ex christianis parentibus nascuntur, sanctos & iustos nasci; & ideò ne baptisate quidem statim opus habere. Atqui non

Z

vident.

vident id proprium filij Dei priuilegium fuisse: idque eam ob causam, quòd non ex commistione viri, sed operatione spiritus sancti, atque virtutis altissimi obumbratione, natus esset. Quod Angelus ipse indicat. Vbi enim primùm dixit, spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; mox infert; ideò quod nascetur ex te, ab omni contagione peccati remotum, sanctum vocabitur.

Lib. 18. Moralium cap. 27. D. verò Gregorius latius etiam hoc ipsum explicat: *Ad distinctionem nostræ sanctitatis, Iesus singulariter sanctus nasciturus asseritur. Nos quippè etsi sancti efficiamur, non tamen nascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis cognatione constringimur; ille autem solus veraciter sanctus est, qui ex coniunctione carnalis copulæ conceptus non est: qui non, sicut hæreticus desipit, alter in humanitate, alter in Deitate est; ut purus homo conceptus, atque editus; & post per meritum, ut Deus esset accepit: sed nunciante Angelo, & adueniente Spiritu sancto, mox verbum in utero, mox intra uterum verbum caro. Et Anselmus; Quoniam propagatio viri de sola virgine, ita non est naturalis aut voluntaria, sed mirabilis: sicut illa quæ mulierem protulit de solo viro, & sicut creatio viri de limo; palam est, quia nequaquam subiacet legibus & meritis illius propagationis. Quia & voluntas & natura quamuis discretè operentur; aliud enim ibi facit volun-*

voluntas, aliud natura; taliter tamen verus est homo: & Adam non de homine, & Iesus de sola muliere, & Eua de solo viro; sicut est verus homo, quilibet vir aut mulier, de viro & muliere. Omnis autem homo aut Adam est, aut de Adam est: sed Eua de solo Adam est, & omnes alii de Adam & Eua. Quoniam namque Maria, de qua sola est Iesus, de Adam & Eua est; non potest ipse de eisdem non esse. Sic namque expediebat, ut qui redempturus erat genus humanum, esset & nasceretur de patre & matre omnium. Ita isti proprium filij Dei priuilegium, qui ex virgine natus est, ad se, filiosque suos impie transferre non erubescunt: ita ad lumen Euangelii cæcutiunt: & cum illud se maxime sequi ac tueri putant, interea evertunt. Hoc, inquit, quod nascetur ex te sanctum; quod Isaias sanctum semen vocat. Attende quæso, Hom. 41 de B. virginæ. quàm reuerenter dixerit: Quod nascetur ex te sanctum. inquit Bernardus: Ut quid enim tam simpliciter sanctum, & absque additamento? Credo, quod non habuit, quod proprie digneque nominaret; illud eximium, illud magnificum, illud reuerendum, quod de purissima videlicet virginis carne, cum sua anima unico patris erat unicum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, quicquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite sanctum; quia quicquid illud sit, quod virgo genuit, san-

*Etum proculdubio, ac singulariter sanctum fuit, & per  
 spiritus sanctificationem, & per verbi assumptionem.  
 Et Angelus quidem sic reuerenter. Nostri autem  
 Ebionitæ quid? Pudet referre. Quòd si Angelum  
 in hoc tanto mysterio deficiunt verba, quid de no-  
 bis dicemus? In diuinis mysteriis explicandis, crea-  
 tura omnis muta, & infans est. *Vocabitur filius Dei.*  
 Vt enim id, quod natura est ab æterno ex patre, tu-  
 um dicetur; ita vicissim id, quod nascetur ex te se-  
 cundùm carnem, vocabitur filius Dei, propter, du-  
 arum naturarum in vnâ personam, hypostaticam con-  
 iunctionem: cum ipsa persona filij Dei, vnâ Iesu  
 Christi, vt etiam est filius Mariæ, constituat perso-  
 nam: & ideò, quod nascetur ex te sanctum, vocabi-  
 tur filius Dei. Vocabitur etiam secundùm carnem  
 verè naturalis, & non adoptiuus filius. Adoptiuum  
 enim repugnat naturali, non secundùm diuinitatem  
 tantùm, sed etiam iuxta carnem, propter eam, quæ  
 in vna persona, quam filiatio sequitur, facta est, vni-  
 onem. Sic autem & quod natum est ex ipso patre,  
 erit tuum: & quod nascetur ex te, erit eius; vt tamen  
 non sint filij duo, sed vnus: & licet aliud quidem ex  
 te, aliud ex illo sit; non tamen cuiusque suus, sed  
 vnus vtriusque erit filius: tuque <sup>θεοτοκος</sup> mater Dei  
 & hominis vocaberis, & eris, iuxta elogium Eliza-  
 beth: *Unde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei*  
*ad me**

ad me? non quod diuinitatē genueris; sed quod diuinitas in tuo utero inhabitauerit. Ex quo loco omnis Nestoriana prauitas refutatur, quę dicebat nudū hominem ex Maria natum, cui postea Deus ad Iordanem in baptismo adhæserit; in eoq; inhabitaauerit, quam in hac parte xiiij. Canon Calcedonenſ. expreſſis verbis damnat. *Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel; & propterea genitricem sanctam virginem matrem Dei, anathema esto.* Quamuis autem hoc tam insigne incarnationis opus toti sanctæ attribuatür Trinitati, patre sanctificante, filio obumbrante, spiritu sancto foecundante; peculiariter tamē attribuitur spiritui sancto, vel quod producendi, viuificandi, ac obstetricandi eius partes sunt, iuxta illud: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Et illud: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vel quod hoc tantum beneficium summi & excellētis amoris est, spiritus autem sanctus amor est: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum daret.* vel quod omne verbum per spiritum foras se prodit: *Eruclauit cor meum verbum bonum.* vel quod Dei in carnem aduentus, primum ac summum donum est; spiritus autem sanctus donum vocatur. Vel quod tota sanctificationis virtus, penes spiritum sanctum peculiariter esse dicatur; ob eamque causam ipse spiritus

Pſalm. 32.

Ioan. 3.

Pſalm. 44.

Lib. 2. de  
Spiritu S.

sanctus à sanctificando, teste Basilio, vocatus est. Conceptus tamen & natus de spiritu sancto dicitur; non quod spiritus sanctus fuerit virgini pro semine. Non enim de substantia spiritus sancti semen partus accepit; sed quia per gratiam Dei, & operationem spiritus sancti, de carne virginis est assumptum, quod verbo est unitum. Cuius rei rationem pulchrè ita explicat Ambrosius: *Quod ex aliquo est, aut ex substantia, aut ex potestate eius est. Ex substantia sicut filius, qui à patre vel ex patre, & spiritus sanctus, qui à patre & filio procedit. Ex potestate autem, sicut ex Deo omnia. Quomodo ergo in utero habuit Maria ex spiritu sancto? Si quasi ex substantia: ergo spiritus in carnem & ossa conuersus est. Non utique. Si verò quasi ex operatione, & potestate eius virgo concepit: quis neget spiritum sanctum dominicæ incarnationis auctorem?* Quamquam aut opera Dei nullis argumentis demonstrari possint: mos est tamen diuinæ scripturæ, ut similitudinibus quibusdam à rebus nobis notis desumptis, res difficiles illustret; atque hoc modo intellectus nostri curiositatem reprimat ac soletur. Hoc facit Angelus; remq; difficilem alia difficili verisimilem facit. Non quod virgo non credat; quæ eo nomine beata prædicatur, quod crediderit; sed ut dum miraculum miraculo redditur, inquit Bernardus, gaudium gaudio cumuletur. *Ecce,*  
inquit,

inquit, *Elizabeth cognata tua*. Permiscebatur enim domus Iuda cum domo Leui, regia, inquam, cum sacerdotali, eò quòd summum regem & sacerdotē Christum dominum editura erat: & quòd Leui forte hæreditaria inter tribus caruit; vt nullus metus esset, ne tribuum possessiones ac hæreditariæ fortes commiscerentur: cuius rei causa iussum fuerat, vt quisque in sua tribu vxorem duceret. Quod ita esse docet scriptura: *Nubant quibus volunt, tantũ vt suæ* Numeri, 36.  
*tribus hominibus, ne commisceretur possessio filiorum*  
*Israël de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent vxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ fœmnae de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur tribus, sed ita manent, vt à Domino separatæ sunt.* Vnde Gregorius De Christi genealogia  
*Nazianzenus: Quærit aliquis, qualiter ad David*  
*Christus referatur, siquidem Maria de sanguine manauit Aaron, cuius cognatam Angelus Elizabeth asseruit. Sed hoc nutu superno contigit; vt regium genus sacerdotali stirpi iungeretur, vt Christus, qui rex est & sacerdos ab utrisq; secundum carnem nasceretur.* Exodi 6.  
*Legitur etiam in Exodo, quoniam Aaron, primus secundum legem sacerdos, duxit ex tribu Iuda coniugem Elizabeth filiam Aminadab. Et attende sacratissimam spiritus administrationē, dum & hanc Zachariæ coniugem statuit Elizabeth vocari, reducens nos ad illam*  
*Eliza-*

*Elizabeth, quam duxerat Aaron.* Cuius cognationis rationem Cyrillum Ierosolymitanum, authorē grauiſſimum, & fide dignum, aliquando è patribus in Ephesine Synodo prodidiſſe aiunt: Emerentianam habuiſſe duas filias, Annam & Esmeriam; quarum Esmeria mater Elizabethæ fuit, Anna verò ipſius virginis Mariæ: vnde conſtaret, Mariam & Elizabetham, duarum ſororum filias fuiſſe, ob idque cognatas appellari. Quod ita eſſe, etiam Eccleſiam Ieroſolymitanam ſenſiſſe narrant; cui non difficilè fuerit ab ipſa virgine Deipara, & vniuerſa familia, ea cognoscere, & poſteritati tradere: *Et ipſa*, inquit me nuntio, *concepit filium in ſenectute ſua.* Non te, inquit, moueat tempus, non ætas; nam ecce ea, quæ tecum viuit ſenex: non curſus naturæ; nam ea, quæ à ſterilitate nomen habet, anus deploratæ ſterilitatis: non conditio; nam cognata tua, eiufdem altiſſimi virtute concepit filium in ſenectute ſua, & filium non quem uis, ſed eum, qui, vt ipſe præibit ante faciem filij tui, parare vias eius; ita etiam eius natiuitas, filij tui natiuitatis erit prænuncia: *Et hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis.* Res eſt clara, ſextus iam menſis agitur, foetus moueri incipit. Ac in ſumma ſcias virgo me hæc, quæ promitto, nõ de mea, ſed de illius qui me miſit, virtute præſumentem dicere, dixi quod accepi, quod audiui; nec vllum

Illum mandatum habeo, ut dicam quomodo id futurum sit; sed futurum tantum prædico: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*: siue pro re, siue promissionis loco sumatur, inquit Basiliius, Tota ratio facti erit potentia facientis: dictum factum est apud Deum. Vox virtutis hæc est, quam iterum atque iterum iam in scriptura legimus: *Nunquid Deo quicquam est difficile? Nunquid mihi difficile siue impossibile erit omne verbum?* Nam quæ apud homines impossibilia sunt, possibilia sunt apud Deum. Non dicit autem omnem rem non esse impossibile, aut omne factum, sed omne verbum. quia quam facile possunt homines loqui quod volunt, etiã quod nullatenus facere possunt; tam facile, imò incomparabiliter facilius, valet Deus opere implere; quicquid illi valent verbo exprimere. Dicam apertius: si hominibus tam facile esset facere quam dicere, quod volunt; & ipsis quoque non esset impossibile omne verbum. Nunc autem quoniam vulgaris, & verus sermo est, multum interesse inter loqui & facere; sed apud homines, non apud Deum: soli Deo quia idem est facere, quod loqui, idem loqui quod velle, meritò non erit impossibile apud Deum omne verbum. Siquidem apud Deum nec verbum disfidet ab intentione, quia veritas est, nec factum à verbo, quia virtus est, nec modus à facto, quia sa-

piencia est ; ac per hoc non erit impossibile apud Deum omne verbum. Quæ utinam huius seculi Evangelici expenderent, non profectò laboraremus.

Audisti igitur virgo factum, audisti & modum, vtrunque mirum, vtrunque incredibile, vtrumq; salutare : *Iucundare filia Sion, & exulta satis filia Ierusalem* : & quoniam auditui tuo datum est gaudium & lætitia, audiamus & nos à te responsum, salutis & lætitiæ. Expectat Angelus responsum, tempus enim est vt reuertatur ad Deum, qui misit eum; confectus est apparatus legationis, confecta legatio, effectus legationis desideratur. Nihil iam deerat ad tantum totq; seculis apparatus opus, quàm vt virgo consentiret. Neque enim ille quemquam cogit; qui omnes liberos creauit; & ad eandem libertatem sempiterna manumissione sua recreauit. Credibile est equidem, tunc Adam & Euam, vniuersamq; patriarcharum, prophetarum, ac omnium sanctorum manum, animo in virginem conuerso obstupuisse; ac quid tandem in tam inusitata re dictura facturaq; esset, animis suspensis expectasse; sed & Angelos, atque adeò illum ipsum, qui hominem liberum esse voluit, cordium imperatorem Deum, credibile est omnes vno voto, illud ipsum à virgine expetiisse. Responde ô beatissima mulier verbum, & suscipe verbum; profer tuum, & concipe diui-

diuinum; emitte transitorium, amplectere sempiternum. Expectamus & nos, ô domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ, statim liberabimur si consentis: in sempiterno Dei verbo facti sumus omnes; & ecce morimur; in tuo breui responso reficiendi, vt ad vitam reuocemur: nec immeritò, quando ex ore tuo pendet mœstorum consolatio: miserorum redemptio: captiuorum liberatio: salus denique vniuersorum filiorû Adam, totius generis tui. Da virgo responsum festinanter, ô domina: responde verbum, quod terra, & inferi, quod expectant & superi; ipse quoque rex omnium, & Dominus, quantum concupiuit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum, in quo nimirum proposuit saluare mundû. Et cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo, cùm ipse tibi clamet è cælo. Credibile est igitur, virginem genibus flexis, ac manibus compositis, magna animi submissione dixisse: *Ecce ancilla Domini fiat mihi*, de verbo, *secundùm verbum tuum*. Tabula ego sum, scribæ velociter scribentis: quod illi placet, mihi inscribat. Benedictus qui venit in nomine Domini. Orsa fuit virgo à voce castitatis: *Quomodo fiet istud?* desinit in verbum obedientiæ & humilitatis: *Ecce, inquit, ancilla,*

la, ad obediendum facilis, ad seruiendum parata, ad suscipiendum prompta. Quem submissum assensum mirificè iam ante expressit Sibylla:

*Hinc ut lætificis mens est recreata loquelis:*

*Erubuit malas ridens puerile venustas.*

*Læticia dulciq; animum demulsa pudore*

*Tunc ad se rediit, verbumq; volauit in aluum.*

*Idq; suo factum, atque animatum tempore corpus:*

*Mortali facie cretum est, puer inde creatus*

*Virgineo partu; mirum est mortalibus hæc res,*

*Sed res nulla Deo patri natoq; stupenda.*

Simile quid respondit familiæ David in vxoré eius affiscenda Abigail: *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lauet pedes seruatorum domini mei.* Et Isaias: *Ecce ego, inquit, Domine, mitte me.* Et Samuel: *Ecce ego. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Non est, inquit, meum, quæ serua & ancilla sum, arcana & secreta summi parentis perscrutari: non est meum id velle nosse, quod ille solus nouit; ancilla eius sum, fiat mecum quod vult: non meæ neque Iosephi, sed eius sum potestatis; illum iubere, me iussa capessere fas est. O fides Deo accepta: ô humilitas grata: ô obedientia omni sacrificio iucundius Deo oblata! Quid ergo quod venientis Dei, oculos offenderet, in illa poterat reside-  
re; in qua tantarum virtutum insignia, veniens in-  
uenit.

1. Reg. 25.

Isaiæ 6.

1. Reg. 3.

uenit redolere? Rara virtus, honorata humilitas: ancillam se dicit, quæ mater eligitur. *Ita pro inobedientia obedientia commutatur*, inquit Augustinus, *Et fides pro perfidia compensatur*. Superba Eua dum Dea esse vult, serua facta est: hæc dum se ancillam humiliter profitetur, Dei mater facta est: ideò humilis Eua, facta est superbæ Euæ aduocata: & sicut Eua inobediens, facta est sibi & vniuerso generi humano causa mortis; sic Maria obediens, facta est sibi & vniuerso generi humano causa salutis. Discamus & nos nostra omnia Dei voluntati subiicere; neq; in arcanis & mirabilibus eius curiosi esse. Nam si coram rege, non vult nos sapiens sapientes videri velle; quantò magis coram Deo, apud quem omnis nostra sapientia stulticia est? *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Beata quæ credidisti, quia perfecta sunt in te, quæ prædicta sunt tibi*. Dum enim fidem das humiliter, cæli in te opificem recipis. Tunc enim subitò, contrà quàm putant Centuriatores, filius Dei, ex sinu patris descendit in sinum virginis; non locum mutando, sed præsentiam suam per carnem exhibendo. Nam & radius solis, solem nunquam deserit; & tamen per fenestras domû ingreditur: tunc diuina humanis, cælestia terrenis, sublimia humilibus sunt iuncta: multa fiunt secundum naturam, supra na-

Irenæus li. .  
ca. ii. aduer-  
sus Valentin.

turam plura ; tunc cælestis imber, virginum in vel-  
 lus placido lapsu se infudit, & tota diuinitatis vnda  
 bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, donec per  
 patibulum crucis expressa, terris omnibus salutis  
 pluuiam infunderet : tunc æterni patris sapientia,  
 quã ab initiò possedit, quæ ab æterno ordinata est ;  
 quæ antequã essent abyssi, concepta est ; secundò,  
 in tempore, in ea quam accipit carne, concipitur :  
 tunc manu omnipotentis Dei, natura nostra pro-  
 lapsa, apprehensa est : tunc cælestis Iob, testam cor-  
 poris nostri accepit ; qua sordes naturæ nostræ de-  
 tergeret : tunc natus est regi Dauid, refert traditio  
 hebraica, verus Selomo, ad curam & medicinam  
 peccatorum eius: tunc Deus sanctus & benedictus,  
 dicunt Rabini, factus est Israëlì consanguineus &  
 cognatus : tunc quasi super fratre suo & proximo  
 suo complacuit in nobis: tunc seruilia membra, pro  
 seruis sumpsit Dominus : tunc se ille ipse, qui sem-  
 per liber est, in nostris ligari passus est : tunc cuius  
 cælum sedes est, apprehendit scabellum pedum su-  
 orum : tunc descendit de cælo filius hominis, qui  
 est in cælo ; descendit primò, vt exponit D. Tho-  
 mas, ratione diuinæ naturæ ; non quòd diuina na-  
 tura in cælo esse desierit, sed quia in infimis nouo  
 modo esse incepit : deinde ratione corporis ; non  
 quòd ipsum corpus Christi secundùm suam substan-  
 tiam

In Midras  
 Tehilim.

tiam de cælo descenderit ; sed quòd virtute cælesti,  
 id est , spiritu sancto est eius corpus formatum : *Et*  
*verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vi-*  
*dimus gloriam eius.* Cuius rei rationem doctè expli-  
 cat Damascenus : *Post consensum, inquit, sanctæ* Lib. 3. ortho  
*virginis, spiritus sanctus superuenit in eam, emundans* do, fidei c. 2.  
*eam, & virtutem ad suscipiendam verbi diuinitatem*  
*simulq; ad generandum præbens ; & tunc obumbravit*  
*ei Dei altissimi in sua subsistens hypostasi, sapientia &*  
*virtus, filius Dei patris consubstantialis, veluti diui-*  
*num semen ; & construxit sibi ipsi ex castis & purissi-*  
*mis eius sanguinibus carnem animatam, anima, ratione*  
*ac mente prædita, primitias nostræ consperisionis ; non*  
*seminatam, sed creatam per spiritum sanctum ; non*  
*paulatim per additamenta completa figura, sed statim*  
*absoluta, quod ipsum Dei verbum hypostasis carni fa-*  
*ctum esset. Non enim ei, quæ secundum seipsam ante*  
*subsisteret, unius est Deus verbum ; sed in sua hypo-*  
*stasi ingressus tanquam habitaculum ; non circumscri-*  
*pto modo sanctæ virginis uterum, carnem sibi anima-*  
*tam, vt ante dictum est, condidit ; vt simul sit caro, si-*  
*mul Dei verbi caro, simul caro animata, ratione ac*  
*mente prædita. Quamobrem non hominem deificatum*  
*dicimus, sed Deum hominem factum. Nam qui est,*  
*naturæ perfectus Deus, factus est idem perfectus ho-*  
*mo ; non mutata naturæ suæ, neque simulata rerum*  
*actione*

actione, sed ei, quam è sancta virgine assumpsit, & ad ipsam essentiam perduxit carni unitus secundum hypostasim, sine confusione, immutatione, ac diuisione. Non transmutans suæ ipsius deitatis naturam in carnis substantiam, neque certè carnis suæ substantiam, in suæ deitatis naturam; neque ex diuina suæ ipsius natura, & ea quam assumpsit humana, unam naturam perfecit compositam. Et alio loco: Totum me totus assumpsit; & totus toti unitus est, toti salutem largiatur. Nam quod non assumitur, id sanari non potest. Unitum igitur est carni, mentis medio, verbum Dei, quæ medium obtinet, inter Dei puritatem, & carnis crassitiam. Principatum enim animæ & carnis mens tenet; cum sit pars animæ purissima; mentis verò Deus: & quando à præstantiore occupatur, ibi mens proprium Christi regimen exhibet; cedit autem paratq; præstantiori, & ea operatur, quæ diuina voluntas iusserit. Et paulò post: In nouissimis autem diebus, non discedens è sinu patris verbum, non circumscripto modo inhabitauit in utero sanctæ virginis *αὐτὸ ὅσως ἦν ἀπεριληπτός*, hoc est, ita, vt neque seminatum sit, neq; ratio eius rei comprehendendi queat, eo videlicet modo, quem ille scit, & in ipsa plusquàm æterna sua hypostasi ex sancta virgine suscepit carnem. In omnibus igitur & super omnia erat, etiam cum in utero sanctæ Dei-paræ fuisset, sed in ipsa per incarnationis operationem.

Incar-

Lib. 3. ortho-  
doxæ fidei  
cap. 6.

Lib. 3. ortho-  
do, fidei c. 7.

Incarnatus ergo, eandem fecit carni hypostasim, quæ est Dei verbi hypostasis; ut composita fieret, quæ prius erat simplex verbi hypostasis: composita verò ex duabus perfectis naturis, diuina scilicet & humana: atque ut ipsa ferat, non tantum diuini Dei verbi filiati-  
onis characteristicam, & discretiuam proprietatem, per quam à patre & spiritu sancto discernitur; verum etiam carnis characteristicas & discretiuas proprietates, per quas à matre & aliis hominibus differt: simulque ut ferat, tam diuinæ naturæ proprietates, per quas vnitur patri & spiritui; quam humanæ naturæ notiones, per quas vnitur matri & nobis: præterea differret non tantum à patre & spiritu, sed etiam à matre & nobis; eò quòd idem sit Deus & homo simul. Hanc enim proprietatem hypostaseos, Christi maxime propriam esse cognoscimus. Enimuerò confitemur eum esse unum filium Dei, etiam post humanæ naturæ assumptionem: & filium Dei eundem, unum Christum, unum Dominum, unicum illum unigenitum filium, & verbum Dei, Iesum Dominum nostrum: venerimurque duas eius natiuitates; vnã ex patre ante secula, quæ causam, rationem, tempus, & natiuitatem superat; & alteram, quæ nouissimis temporibus facta est propter nos, secundum nos, & supra nos. Propter nos, quia propter nostram salutem: secundum nos, quia natus est ex muliere, legitimoq; partus tempore: supra nos,

quia non ex semine, sed de spiritu sancto, & ex virgine sancta, supraq; legem partus. Vbi, quæ, & quanta miracula concurrant, vide. Miraculum est, ad talem tantumq; foetum formandum, viri omnem operam excludi; & per talem legationem, virginisq; consensum, virgineum duntaxat vterum adhiberi.

In Lucam.

*Noli morari virgo*, inquit Ambrosius, *nuntio festinanter responde verbum, & suscipe filium; da fidem, & senti virtutem: Ecce, inquit, ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Nec mora, reuertitur nuntius, & virginalem thalamum ingreditur Christus.*

*Efficitur subito prægnaans beata Dei genitrix: & cuncta per secula prædicatur felix: concepit mox diuinitatem verbi, virilis ignara consortij.* Miraculum item est, rätum de purissimo virginis sanguine transferri & coagulari, in masculumq; formari, quantum ad generationem hominis sufficebat: *Nuntiante enim*

Lib. 18. Moralium cap. 27.

*Angelo, inquit Gregorius, & adueniente spiritu, mox verbum in vtero, mox intra vterum verbum caro; & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum patre & cum sancto spiritu coæterna; assumpsit intra virginea viscera, vnde & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante secula, temporalis posset esse in fine seculorum: ut per ineffabile sacramentum conceptu sancto, & partu inuiolabili, secundum veritatem, vtriusq; naturæ eadem virgo, & ancilla Domini esset*

& ma-

*Et mater.* Miraculum & illud est consuetum dierum numerū, qui ad formandū hominis corpus desideratur, non expectari; vt & semen ad figuram corporis aptetur, & anima in corpus ipsum influat: sed eodem planè momento, & sine successione temporis, corpulentam substantiam à virginis corpore diuidi, formari, simul & animari, vegetandi, sentiendi, & intelligendi vires omnes pariter adesse; & ad suas functiones, in ipso corpore, rationali anima, iam perfectè informato, exercendas conspirare: *Verissimè enim, et absq; vlla ambiguitate dicitur, inquit Lom* 2. distinct. 2  
*bardus, quia ex quo Deus hominē assumpsit, simul sibi vniuit animam & carnem: nec caro prius fuit concepta, & post modum assumpta; sed in conceptione assumpta, & in assumptione concepta. Quando Angelus istā virginem salutauit, tunc eam spiritus sanctus fecundauit; tunc illa foemina virum sine viro concepit; tunc est repleta gratia; tunc dominum suscepit, vt esset in ea, qui fecerit eam. Neque enim illa expositio Theophilacti, exponentis illud, obumbrabit tibi, placet: Quomodo pīctor, primū opus delineat & adumbrat, deinde perfectis coloribus illustrat; sic & ipse Dominus, sibi ipsi corpus fabricans, ac hominis imaginem effingens, primū in utero virginis obumbravit, deinde paulatim per partes formauit: Simul enim & semel totum foemina comprehendit virum, vel*

Lib. 1. ad Eu-  
geniū de cō-  
sideratione.

et cetera

propter infinitam virtutem spiritus sancti, cuius ob-  
stetricante manu tantus partus conceptus est; vel  
quod non decuit Deum assumere aliquid imper-  
fectum. Miraculum est, dum anima corpori iungi-  
tur, eodem momento diuinitatem homini in vnam  
personam vniri, ac verbum æternum se carni inse-  
parabiliter sociare: vt idem Dei & hominis filius in  
virgineo utero constitueretur. Itaq; præclarè Ber-  
nardus Mariam virginem Euangelicæ illi mulieri  
comparat, quæ tres mensuras farinae, siue vt no-  
ster legit interpret, tria fata, modicè addito fermento  
commiscuit, atque contemperauit; vt tota de-  
inde conspersio, in vnum simul corpus conflatur  
atque vniatur. Etenim hæc præstantis fidei suæ fer-  
mento, id quod alius nemo potuit, perfecit; vt in  
suo utero tres naturæ, verbum, anima, & caro, per-  
inde ac tria fata, in vnitatem personæ Christi con-  
iungerentur, & coniunctæ non diuellerentur. Mi-  
raculum item illud est, Mariæ filiū inde ab ipsa con-  
ceptione, tanta cumulari gratia, vt anima eius cum  
Angelis Dei essentiam clarissimè intueri, ac Dei  
gloria beatissimè perfrui posset. Miraculum deniq;  
est, eiusdem animam ab initio vndequaque perfe-  
ctam, & summis Dei donis refertam fuisse; vt non  
solum omnes thezauri scientiæ & sapientiæ Dei il-  
lic reconderentur; sed etiam, vt simul atque verbū  
caro

caro factum est, mox plenitudo diuinitatis in ho-  
 mine Christo corporaliter inhabitaret: *Factus est*  
*primus Adam in animam viuentem; nouissimus Adam* 1. Cor. 15.  
*in spiritum viuificantem*, dixit Paulus. Si Adam ter-  
 renus, quamprimùm ei Deus spiraculū vitæ inspira-  
 uit, magnā vim intelligendi subitò consequutus est:  
 quantò vberius Adam cælestis, omnes sapientiæ ac  
 scientiæ thesauros in se recepit, quamprimū in vtero  
 virginali cōceptus est. Fœmina statim circumdedit  
 virum, virum sapientia, non ætate: animi vigore non  
 viribus corporis: maturitate sensuum, non corpu-  
 lentia membrorum. A principio ille perfectus fuit, à  
 principio plenus spiritu sapientiæ & intellectus; con-  
 trà quàm sensit rerum profanator omnium Lutherus,  
 plenus omnibus tam corporis, quàm animæ gratiis  
 ac dotibus; sapientia item atq; scientia, tam ea quæ  
 beatorum est, & quæ ex præsentī diuina visione  
 oritur, quàm ea quæ infusa dicitur, quæ ab illa  
 prima solo modo in Christo fuit distincta. Illa enim  
 formarum & exemplarium est, hæc effectuum ip-  
 sorum. Vtraque à prima suæ conceptionis hora,  
 cum propter hypostaticam vnionem, tum propter  
 plenitudinem gratiæ ac vnctionis, Christus prædi-  
 tus fuit. Nam creuisse dicitur, non secundum quod  
 erat, sed secundum quod apparebat; non quòd ali-  
 quid è nouo accederet, quod antea non haberet;

Serm. 4. cōtra Arianos.

In laudem Basilij Magni

Athanasius ibidem.

sed quod accedere videretur, quando volebat ut videretur: *Quanto magis, inquit Athanasius, diuinitas Christi reuelabatur, tanto plenius gratia crescebat, ut hominis apud homines. Infantulus enim gestabatur, puer autem factus remansit in templo, sacerdotesq; interrogauit de lege: paulatim autem corpore adolescente, verboq; seipsum in corpore manifestante, factum est deinde, ut agnosceretur pro filio Dei. Et Nazianzenus similiter: Christus ut ætate, ita & sapientia, & gratia proficiebat; non quod hæc incrementum caperent: quid enim eo, quod à principio perfectum est, perfectius esse possit? sed quod paulatim patefierent, et elucerent. Hominum est proficere: filius autem Dei quandoquidem non habebat, quo proficeret; ut potè perfectè existens in suo patre, humiliavit seipsum pro nobis, ut in illius humilitate, nos magis ac magis cresceremus. Acquirebat ille nihil ex nostris, præter infirmitates ac calamitates nostras, quibus illum circumdari oportuit: eaque sola sapientia crescebat, quam ex usu & experientia miseriarum nostrarum comparabat. Negat hæc omnia Sacramentarius, Zuinglius, Brentius, Calvinus, Bucerus: sed quid mirum, si ipsi adulto Iesu Christo notam ignorantia, inurere non verentur cum Photino atq; Agnoitis. Talia ergo & tanta miracula facta sunt, cum susciperet Dñs coenum nostrum.* *Artificum enim optimi,*

timi, dicebat Theophilus in Ephesina Sinodo, non in pretiosis tantum materiebus artem ostēdentes, in admiratione sunt; sed vilissimum lutum & terram dissolutam plerunque asumentes, suæ disciplinæ demonstrantes virtutem, multo magis laudantur: ita omnium optimus artifex Dei verbum, non aliquam pretiosam materiã corporis cælestis apprehendens, ad nos aduenit: in luto magnitudinem artis suæ ostendit. In qua tam admirabili incarnatione, eiusque denunciatione, ea quæ summa sunt inclinantur: Angelus virginem salutatur: virgo consentit: Deus homo fit. Quam triplicem inclinationem; triplici in die pulsu, prouocans nos ad gratiarum actiones, repræsenta Ecclesia; matutino, inquam, & eo qui fit in meridie, ac vespertino: quæ omnia nunc hæresis irridet, & contemnit. Non facit hæc Mahometanus, qui in suo Alchorano, eas Angelorū de Maria voces recitat: *O Maria cunctis viris fœminisq; præclarior, soli Deo perseueranter studens.* Et alio loco: *O Maria, Deus annunciauit tibi verbū ex ipso, nomē eius Iesus filius Mariæ, & erit honorabilis in hoc seculo & in futuro.* Mahometis certè ipsius illa vox est: *E viris multi perfecti fuerunt: nulla autem ex mulieribus vnquam perfecta fuit, nisi Maria mater Iesu.* Verùm hæc alterius sint loci & temporis. Inclinemus nos corda & capita nostra Deo, scientes quia propter nos, & propter nostrā salutem descen-

In cap. 5. & 74. Alchorani.

descendit de cælis, & incarnatus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine, & homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est: gratiasq; illi agamus, quòd nò dereliquit nos vsq; in finem, sed recordatus est figmenti manuum suarum. Matremq; eius, vas sanctissimū, omniq; laude dignissimum, honoremus. Tuq; in primis rex Stephane D. Stephanum regem ac popularem tuum imitare, regnumq; tuum virgini sanctæ, vt ille iam iamq; moriturus fecit, verbis eius commenda: *Regina cæli, mundi inclyta reparatrix, tuo patrocinio sanctam Ecclesiam, cum Clero & Episcopis, regnumq; cū Primatibus & populo, tuis precibus commendo; quibus ego nunc vltimum valedicens, animam quoq; meā tuis manibus committo.* Hæc est enim illa virgo: quā gens tua apprimè semper coluit; patronamq; suam esse voluit: quam in auro monetaq; sua impressit: cuius olim familia, parsq; hæreditatis regnum Hungariæ dicebatur. Quod quamdiu sanctè ac religiosè faciebant; Aper ille de silua dente suo, eos attingere nunquam potuit. Nos autem alij ita eam Athanasii verbis compellemus: *Et iam scilicet audi filia Davidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces nostros, & ne obliuiscaris populi tui, neque nostri, qui sumus de familia & domo patris tui. Parentes enim tui sumus, secundum generis pro-*  
*sapie-*

In historia regis Stephani

De sanctissima Deipara.

*Sapientiaque, rationem; nostraque, filia es, quia ex nobis genita es: decet enim, te matrem, regeneratricem, dominam, ac heram nostram cognominemus, eò quòd ex te prodiit rex, Dominus ac Deus noster: assistentem illi, nobis quidem terribili; tibi autem dulci, omnemque, gratiam largienti, qua de causa factum est, ut gratia plena appellata sis; utpotè quæ omni gratia abundares, idque, per superuentum in te spiritus sancti. Ideoque vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditati scilicet istiusmodi bonis, & spiritualibus contemplationibus. Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima virgo, quæ etiam à partu virgo permansisti, & retribue nobis, pro exiguis istis eloquiis, magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum, tu quæ gratia plena es. Nam ideò his vocibus, ut ex re ipsa desumptis, & natura laudatoriis, præcipue in tuum encomium utimur, si quando hymnus, si quando laus tibi, siue à nobis, siue ab vniuersa creatura offertur. Nazianzeni item:*

In Christo  
patiente.

*At tu, quod precor, summum, id mihi  
Concede, vita sic ut excedam, illius  
Ut tantum habens te præsidem semper, velut  
Ingentem opum vim, te tuum erga filium  
Mibi patronam sentiam acceptissimam.  
Ne me ergo tradi tu sinas, tanquam ad crucem,  
Ludibrioque, illius exponi, omnium  
Iuratus hostis qui sit, & mortalium*

*Pestis : tuere me, atque ab æterno assere  
 Igne, & tenebris : per fidem, qua iustior  
 Sum factus, & per gratiam tuam inclytam,  
 Quæ nuspiam vlla notior nobis fuit.  
 Hoc propter, ecce texo nunc tibi memor  
 Gratumq; carmen, ð puella gratia  
 Equanda nullis, mater & virgo, supra  
 Omnes decora virgines & maxima:  
 Quæ vincis omnes cælitum ordines,  
 Regina, domina, generis humani bonum:  
 Amica semper esto tu mortalibus;  
 Maximâque quouis in loco mihi salus.*

August. tom.  
 10. serm. 2.  
 de Annunci-  
 atione.

Cum Augustino item : *O Maria : quis tibi dignè  
 valeat ium gratiarum, & laudum præconia impende-  
 re, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdi-  
 to? quas tibi laudes fragilitas humani generis, per-  
 soluat, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum  
 inuenit? Ita mihi assensum istum appone illi, qua Eva  
 serpenti consensit in perniciem nostram. Et sic quidem  
 virginem matrem honoremus, illud cum magno  
 Gregorio profitentes : Mariam sic à nobis coli, ut  
 eam pro Dei ancilla, & matre habeamus : ancillam  
 quidem, quia verbo æterno, ut nemo alius, ministra-  
 uit : matrem verò, quòd æqualis patri filius, in vir-  
 gineis visceribus eius, à spiritu sancto, & materna  
 eius carne, homo factus sit atque procreatus.*

Cæle-

Cælestem autem parentem petamus, vt quemad-  
modum illa, mente & corpore verbum concepit  
Dei; nos mente & animo nostro, dignè concipere  
ita illud mereamur; vt tandè læti & alacres eius  
natalem, confecta incarnationis memoria,  
celebrare possimus. Cui sit laus,  
& gloria in secula.  
Amen.

Ora pro nobis sancta Dei  
genitrix; vt digni efficia-  
mur promissionibus Christi.

M. ANDREAE SCHONEI

ODA

MAGNAE MATRI VIRGINI

Pro Sarmatia.

**O** *Diva cælis altior omnibus,  
Parens supremi Numinis, æthere  
Ex alto, ab ipso Spiritu almo  
Plena, thoro sine coniugali.*

*Te Graia tellus, te Latium potens  
Laudavit odis dulcibus, oreque  
Semper rotundo: te reperta  
Nuper & India, iam secundam*

*Deo celebrat, numen & omnibus  
Tuum in periculis inuocat. Accipe  
Ergò quoque à Septentrione  
Hoc gelido, Boreaque, & Arcto*

*Rigente, laudes ore humili datas  
Pauenteque; hostesque undique nos fera  
Duraque cingentes corona:  
Inque tuam sobolem parantes*

*Vincla, arma, mortes, exilia ultima,  
Dextra potenti, comprime, sterneque;  
Ut sentiant quid possit, intrà  
Viscera sancta Deum tulisse.*

*Hic christianis terminus ultimus  
Limesque stat; nos præsidium ferè  
Solum impias contrà cohortes,  
Barbariemque sumus ferocem.*

*Deiecta propugnacula Lechidum,  
Unà in ruinam deiciant grauem,  
Arces potentes, regnàque ampla,  
Spesque, animosque virum superbos.*

*Has ergò semper respice lumine  
Terras benigno: sis bona Sarmatis  
Patrona: postque istos tumultus,  
Faustam oleæ foliis decoram*

*Pacem reduc: quam si dederis, dabis  
Cuncta; unà nobis, aurea pax, salus:  
Ne fortè secum præliantes,  
Christiadas dirimat Tyrannus*

*Externus, ac vi, proh dolor, occupet;  
Ut nuper aureæ Pannoniæ accidit.*

*Fac, quod facit mater benigna :  
Progeniem illa minus venustam*

*Atque ægriorem, plus alijs amat  
Curatque. Scis nos esse opis indigos :  
Scis hostium vires, minasque,  
Armaque, telaque, semper in nos*

*Intenta. Moscus, Turca, Geta en propè.  
Sic ægrum & afflictum SOCOLOVII,  
Qui saucius pugnat feritque  
Fortius, atque alij valentes ;*

*Novamque suplex nunc tabulam tuis  
Suspendit aris ; tange manu caput  
Fausta : ac dolorem pertinacem  
Indomitumque leua vel aufer.*

**Laus Christo incarnato,**

104

